

V C  
751



SEPTENTRIONALE  
NOMINE PAVONIAE  
HONORIFERAE  
RATIBUS GASTRIS  
Hilbert de Jordonis  
DE PAVONIA  
IN SENATE FACULTATIS PHILOSOPHICAE  
MAGISTER  
JOHANNES CHRISTOPHORUS  
LACIDIS RUDIGERUS  
DE PAVONIA  
1719



Q. D. B. V.

## HISTORIAE

SAXONICAE

SPECIMEN SECUNDUM

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

INDULTU PLACIDO ERUDITORUM

EXAMINI

IN ACADEMIA LIPSIENSI

d. 3. NOVEMBR. M DC XCIV.

H. L. Q. C.

sistent

PRÆSES

M. JOH. CHRISTOPHORUS

PRÆTORIUS,

ET

SEBASTIAN GOTTOFREDUS

PRÆTORIUS,

S. S. Theol. &amp; Philos. Stud.

LIPSIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI,

G. D. E. N.

PHILOSOPHIAE

PRÆTORIAE

INSTITUTIONUM

PHILOSOPHICARUM

INSTITUTIONUM

PHILOSOPHICARUM

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHICARUM

PHILOSOPHICARUM

PHILOSOPHICARUM

PHILOSOPHICARUM

PHILOSOPHICARUM

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHICARUM





## Sectionis Tertiæ

### CAPITIS I.

#### Argumentum:

- §. 1. Connexio hujus cum priori disputatione (2) status Saxonie post Carolum M. & qui primi Saxonie Duces? (3) Henricus Auceps Saxonie Dux. (4) Saxonia ab Ottone I. Imperatore & Duce Sax. divisa; à Lothario autem denuò conjuncta. (5) Henricus Leo Saxonie ducatu exutus. (6) Bernardi Ascanii Saxonie Ducis vita (7) Alberti I. vita. (8) Alberti II. vita. (9) Rudolphi I. vita. (10) Rudolphi II. vita. (11) Wenceslai vita. (12) Rudolphi III. vita. (13) Alberti III. vita. (14) --- (15) Saxonia Ducatus ad Misnenses translatio.

#### §. I.

**S**uperiori anno moderamine Domini L. Adam Rechenbergii, primum historiae Saxonicae specimen de Origine Saxonicae gentis ejusque ex familia Wittekindea principibus ad Fridericum Bellicosum usque publicavi. Nunc ordo postulat, ut hac dissertatione Serenissimos pariter Electores ac Duces Saxoniae Superioris sistam. Postquam enim seculo à N. Chr. XV. FRIDERICUS nomine ac omine BELLICOSUS, propter praecelara, quae turbatae Hussitarum tumultibus Germaniae praestiterat merita, Electorale decus esset meritis, utraque Serenissimorum Saxoniae principum linea Electores pariter ac Duces progenuit inclutos. Horum praecipue gestis com-

memorandis studium operamque nostram qualemcunque iam impendemus. Ubi historiae series poscit, ut quaedam de Ducatu & Electoratu Saxoniae, antequam ad Serenissimam Marchionum Misniae & Landgravorum Thuringiae familiam, optimo jure deveniret, praemittamus. Erimus tamen, quantum, quidem fieri poterit, brevitatis studiosi; ne quae Optimorum Principum vitis potissimum dicatae sunt pagellae, aliena sibi vindicent.

§. 2. Primis equidem post devictos à Carolo M. Saxones temporibus, in desuetudinem Ducum nomina abiisse, vetustissima scriptorum monumenta probant. Abolitis enim Ducatibus, Carolus ac Ludovicus Pius, Imperatores, Saxoniam, & quas praeterea in provinciae formam redegerant ditiones, constitutis hinc inde ex primaria nobilitate Comitibus, qui jus dicerent subditis, rexere. α) Et quamvis non adeo videatur improbabile, Wittekindi posteros in Parentis successisse possessiones; res tamen ipsorum plurimum latent. Ludolphum quidem Wittekindi abnepotem, & Wichberti ex Brunone nepotem sub Ducis titulo *Cranzius* nobis exhibet; β) at cum eodem, apud Francicos scriptores coevos, nomine, nobis non occurrat, tutius fortassis Filio ejusdem *Ottoni*, cujus magna penes Conradum Imperatorem autoritas fuisse perhibetur, γ) aut certe nepoti *Henrico Aucupi*, Saxoniae Ducatus asseretur. Hunc sane primum extitisse, qui excusso Francicorum Imperatorum Dominatu, libera potestate Saxoniam gubernaverit satis certe constat. δ)

α) *Beat. Rhenan. L. II. German. Confer. Meibomium in Introduct. ad Saxon. Infer. histor. p. 25* β) *Libr. I. c. XXV. Sax.* γ) *Fabr. l. II. Orig. Sax. p. 101.* δ) *Wittekind. Corbej. L. I. Annal. Sax.*

§. 3. HENRICI, qui post obitum Conradi I. Imperatoris, ex ipsius defuncti sententia, Germaniae summo cum imperio praefuit, filius, *Otto*, à rebus gestis *Migni* cognomine clarus, imperii & simul Ducatus Saxoniae haeres existit. Divisa Saxonum regione Transalбина pars, *Otonis* beneficio, *Hermanno Billingio*, nobili inter Saxones stemmate prognato, α) cessit. β) Altera Cisalбина, quae Angriae & Westphaliae Ducatus, terra-  
que

que item Brunsvicensis continebatur, penes Ottonis, fratrum-  
 que ejus posteritatem remansit. Hâc prognati qui sint ex pri-  
 ma patebit tabula. Notandum hic præterea, quod cum Bru-  
 nonis Saxonix Marchionis stemma, extincto sine masculâ pro-  
 le Ecberto II, interiisset, diætæ Saxonix provincias, ad *Henri-*  
*cum Pinguem*, comitem Nordhemium, cui Gertrudis, Ecberti I.  
 filia nupserat, ac denique ad generum ejus Lotharium Supplin-  
 burgicum Comitem, postmodum Imperatorem, pervenisse, qui  
 Transalbino, post sterilem Magni Ducis obitum, Ducatû, ab  
 Henrico V Imperatore, si *Cranzio*  $\gamma$ ) fides habenda, Anno 1106.  
 donatus, dilapsam in partes Saxoniam denuò congregavit.  $\delta$ )  
 Unico filio præmaturâ morte raptò, hæredem scripsit *Henricum*  
*Leonem* Bavarix Ducem.  $\epsilon$ )

$\alpha$ ) *Vide hic vindicias Billingianas Meibom. Tom. III. script. Germ.*

$\beta$ ) *Cranz. L. IV. Sax. c. VIII Fabr. L. II Orig. p. 161 confer. Adam.*

*Bremens. L. II. hist. Eccl. c. IV. & Schurtzfl. in not. ad vit. Alberti*

*Animosi.  $\gamma$ ) L. V. Sax. c. XXV. confer. Langium in Chron. Zi-*

*ticens. Tom. I. Pistorii script. Germ. p. 780.  $\delta$ ) Vide cit. Scripto-*

*res.  $\epsilon$ ) Helmold L. I. c. LIV. chron. Slav.*

§. 4. Is cum gratiâ Friderici Barbarossæ Imperatoris, quem  
 in Mediolanensi obsidione Pontificis instinctu deseruisse per-  
 hibetur, excidisset; Principumque lividis oculis potentiam ipsi-  
 us intuentium, armis diu satis agitatus esset, ad incitas tandem  
 redactus, maximam ditionum atque possessionum partem ami-  
 sit.  $\alpha$ ) Atque ex his cessit Bernhardo Ascanio Transalbina, Bil-  
 ingorum olim ditio, cum Ducistirulo Saxonix.  $\beta$ )

$\alpha$ ) *Vid. Arnoldum Continuat. Helmoldi L. II. c. XVI. & XVII. L. III. c.*

*XXIV. Albert. Stadenf. ad Annum 1180. Bunting. in chron. Brun-*

*sv. & Henning. in geneal. Henrici Leonis part. II. Tabular. Ge-*

*nealog. tertii regni.  $\beta$ ) Albertum Stadenf. l. c. Gobel. etate VI.*

*Cosmodr. c. LV. conf. Meibom. in Introduc. ad hist. Sax. l. f. &*

*Schurtzfl. in tract. de Virricis Ecclesie.*

§. 5. BERNHARDUS sedem suam non in Transalbina Sa-  
 xonia seu Ducatu Lauenburgico constituit, quin istam potius  
 Wittebergam metropolin regionis ad albam, injusto Slavorum  
 dominatui per Albertum Ursum patrem ereptam, concessione-

que Conradi III. Imperatoris sibi posterisque perpetuo successio-  
nis jure collatam, contulit. *a)* Et exinde ad nostram usque æ-  
tatem Ducalis, hancque subsecuta Electoralis dignitas, semper  
conjuncta cum Wittebergensi territorio mansit. Quamvis ve-  
rò negari haut queat, eundem cum Ducatu Saxonie Archima-  
reschalatum obtinuisse, ac sertum rutaceum insignibus Saxoni-  
cis intulisse, teste *Cranzio* *β)*, titulo tamen Electoris abstinuis-  
se, nec cum solis Imperii officialibus, jus eligendi Imperatorem,  
posteris demum temporibus acquisitum, habuisse, *γ)* tum va-  
ria istius diplomata, tum unica Philippi Suevi, à cunctis Imperii  
ordinibus facta electio *δ)* comprobat. Cæterum Henrico Le-  
oni, perquam infestus extitit, & ne in gratiam ab Imperatore re-  
ciperetur, solus ferè effecit *ε)*. Comitatum Razenburgensem,  
extinctâ in Bernhardo, ejusque filio, comitum familiâ, sibi suis-  
que acquisivit. *ζ)* Parens communis Principum Anhaltino-  
rum & Lauenburgicorum fuit; qui, quâ serie se invicem ex-  
ceperint, affixa tabula genealogica docet.

*a)* Schurzfl. l. c. *β)* L. V. cap. XXV. Saxon. *γ)* Schurzfl. l. c. & in  
Dissertat. de Saxonia. *δ)* vid. Gotofred. Monach. S. Panta-  
leonis ad Coloniam Chron. Tom. I. Freber. Scriptor. German.  
p. 263. *ε)* Arnold. Lib. II. c. XXXVI. Cranz. Lib. VI. Saxon.  
c. XLIII. *ζ)* Cranz. Lib. VI. Vandalia, c. XXXI.

§. 6. Ad ALBERTUM I. Filium Bernhardi majorem na-  
tu Ducemque Saxonie, ordine trahimur, neque tamen, quan-  
tam in eo virtutem, bellum contra Waldemarum Danum & O-  
thonem Brunsvicensem gestum, *a)* expeditionesque, unâ in  
Livoniam, Volquini Episcopi precibus *β)* A. C. 1223, altera in  
terram sanctam, Friderici II. auspiciis, an. 1228. susceptâ, cui tan-  
quam sacre militie Dux præfuit, *γ)* deprædicent, commemo-  
rabo. Multo enim excellentius decus ipsi debet Serenissima  
domus Saxonica. Simul quippe cum aliis Officialibus jus eli-  
gendi Imperatorem, in diuturnis illis, quibus post Friderici II.  
Imperatoris obitum universa percellabatur Germania, tumulti-  
bus, utili ac salubri submovendarum in electione Imperatoris  
dissensionum consilio, ad paucos redegit, primusque cum col-  
legis Henricum Rapsonem Thuringie Landgravium An. 1246.  
nedum



elegit. γ) Quoniam verò nondum p̄r characterem scriptum & publicas tabulas, definitum erat electionis jus, non ab omnibus Elector Saxoniae vocatur. Obiit An. 1260.

α) De hoc vide Gotofredi citati Chron. sub An. 1227. Cranz. L. VII. Sax. c. XLI. β) Henninges l. c. p. 170. γ) Evolve Lang. in chronico Ziticenf. Tom. I. Pistorii Scr. Germ. p. 802. Cranz. L. VIII. Sax. c. XXIX. δ) Albertus Stadenf. sub an. 1246. Confer Schurzfleischium l. c.

§. 7. ALBERTUS II. primi filius partam dignitatem quatuor Imperatorum electionibus, Rudolphi scilicet Habsburgici, Adolphi Nassovii, Alberti Austriaci, & Henrici Lüzelburgici stabilivit. α) Dignitatis septemviralis firmamentum, ex tabulis Rudolphi I. Imperatoris, soceri, habuit, optimoque jure Elector dicitur. β) Ejusdem Imperatoris beneficio Palatinatum Saxoniae, quem à Saxonia cis Veserana Fridericus Ahenobarbus abalienaverat & Burggraviatum Magdeburgens. qui penes gentem Schrapelanam esse desierat, obtinuit. γ) Neq; Archimarschalli, neque Electoris titulo usus est. Tumulo, quem in Franciscanorum monasterio Wittebergæ mater ejus confici curaverat, illatus est.

α) Schurzfl. l. c. & in notis ad vitam Alberti Animosi ex Argentinense & Chron. Vet. Saxon. β) Idem l. c. γ) Id. l. cit. Chytraus L. XV. p. 38. Chron. Sax. Gerbard. de Roo Gen. Austriac. Lib. I. p. 14. 21. 33. 35. seq. Quenam ex Burggraviatu hoc vendiderit civibus Magdeburgensibus Albertus. Vid. Dresser. in Isagogo L. IV. p. 853.

§. 8. Successit RUDOLPHUS I. cognomine Senior, cui ab amita Elisabetha Brennensem comitatum, parente adhuc vivo, donatum, literis Erfurdiae A. 1290. 4. Kal. Julii datis, Rudolphus Imperator confirmavit. α) Archimarschalli S. Imperii Rom. titulum, primus omnium adhibuit. β) Magdeburgenses præiudicium ad Ganderlebiu superavit, multisque civium sub potestatem redactis, pacis condiciones inire coëgit. γ) Defuncto circa annum 1313. Imperatore Henrico VII. Ludovico Bavariae Duci, simul cum Johanne Bohemorum rege, Balduino Trevirensi, & Petro Moguntino, Archiepiscopis, suffragium largitus est. Frater

rere eius Albertus ex aduerso, Friderici Austriaci partes apprehendens, cum Palatinis Imperatorem ipsam eligere, in præjudicium Rudolphi, sibi præsumsit. *δ)* Anno 1322. Waldemarus Brandenburgicus Marchionem inter vivos esse desit, qui cum masculam non haberet prolem, cognatis suis Ascaniis, legitimis hæredibus, testamento subditos obligavit. At Ludovicus IV. Imperator, haud memor pristini beneficii, feudum successore vacuum filio natu majori Ludovico contulit. *ε)* Solum Landsbergi Marchionatum, in veteri Marchia, Rudolpho fertur permisisse. *ζ)* Postquam Ludovicus fatis concessisset, Carolum IV. cum Moguntino, Trevirensi, ac Coloniensi, Imperatorem constituit: *η)* Cum ex aduerso Ericus I. Lauenburgicus, sumtâ sibi eligendi Germaniæ capitis potestate, Günthero Schwarzenburgico Comiti inter alios fasces Imperii traderet. *θ)* Prævaluit tamen Carolus IV, quem an rectè alii vitricum Imperii nominent, nostrum non est decernere. Ascaniis verò cum molitore quodam, qui Waldemarum è spontaneo exilio, ad expiandum cum Agnete Hermanni Longi Marchionis Brandenburgici filiâ, commissam incestum, suscepto, reducem simulare iustus fuerat, per triennium ferè imposuit. *ι)* Cum verò Principibus fraus cœpisset innotescere, dignitatem iterum, quam publicè ipsi antea vindicaverat, ne imposturæ particeps fieret, exuere ipsum coactus est. *κ)* Rudolphus anno 1356. naturæ debitum exsoluit.

*α)* V. d. Albin. Chron. Misn p. 193. & 216. Comitem Brenensem ideò Albertus II. se scripsit, quia ipso vivente adhuc eum adeptus est filius, conf. Schurzfl. in vitricis Eccl. *β)* Schurzfl. l. c. confer Fabric. p. 17. de Elect. Sax. *γ)* Fabr. l. c. & Hennings part. II. tabul. tertii Regni p. 170. *δ)* Ita Henricus Stereo, Monachus Althea, in annal. suis Tom. I. Freher. script. Germ. p. 408. conf. Cuspin. in Chron. Ces. p. II. p. m. 32. seq. dissentiunt Henricus Rebdorff cit. Tom. Freheri. Fabr. & Henning. l. c. *ε)* Henr. Rebdorf. Tom. cit. p. 425. subint. Cranz. Lib. IX. Sax. c. XXIV. *ζ)* Fabr. l. c. *η)* Cuspin l. c. p. 57 Balbin. L III Epitom. rer. Bohem. c. XVIII. p. 349. *θ)* Rebdorff. in annal. Tom. cit. p. 445. Fabr. l. c. *ι)* vid. in primis Anonym. von Sachsen Lauenburgischen Stam. Fall. p. 24. *κ)* id. l. c. conf. Rebdorff. Tom. cit. p. 444.

S. y. In-

§. 9. Ingenitam dices Serenissimis Saxoniz Principibus erga Imperatores fidem, ita insignem atque ingenuam Carolo IV, qui, si vera commemorant rerum scriptores, familiae suae impostore dicto illuserat, operam praestitisse Rudolphum II, primi filium, Electorem, publicae dicti Caesaris tabulae testantur. *α)* Ducatus Luneburgensis Alberto Ascanio, Ottonis filio, quem Wilhelmus Dux Luneburgensis, socer, mascula carens prole haeredem scripserat, à Carolo IV, cujus adhuc alta mente reposita haerebat Ascaniorum fides, Alberto I, denique Rudolpho II, ac tandem si hunc absque haerede contingeret mori, Wenceslao uterino fratri confirmatus est. *β)* Lite etiam, quam movebat Ericus II, Lauenburgicus, de Electorali dignitate, dicta pro se, publicè à Carolo IV sententia, praevaleuit. *γ)* Pietatis ejus insignis exemplum extat cathedrale templum Wittebergense, cujus fundamenta jecit. *δ)* Vita functus An. 1370.

*α)* Haec in arce Wittebergensi adhuc extare asserit Schurzfl. in Dissertat. de Saxon. *β)* Idem in tractat. de Vitricis Eccles. ex probatissimorum scriptorum monumentis. *γ)* Ex historicis hoc probat Autor von Sachsen, Lauenburgischen Stamm, Gall. *δ)* Schurzfl. in cit. Dissert.

§. 10. Cum Rudolpho masculus deesset, WENZESLAUS, frater uterinus, jure haereditario ipsius consecutus est haereditatem. Passim in tabulis audit Angriae Westphaliae, Saxoniae & Luneburgi Dux, comes Palatinus Saxoniae, comes Brennensis, & S. Romani Imperii Archimareschallus *α)*. Defuncto enim Wilhelmo Luneburgensi Duce, jure suo usus in Ducatum ejus, subditos juramento imperii civilis lege sibi obligavit. Ipsam ditionis metropolim Luneburgum sub potestatem redegit. Solus postea, Alberto Patruelis ad Rickelingam arcem, tormenti ictu caeso, tantae possessionis haeres, constituenda concordiae ergo, filias Friderico & Bernhardo Brunsvicensibus, Magni Torquati filiis, posthabito Henrico III ipsorum fratre, despondit *β)*. Ingentes igitur Henricus posthac denuò turbas dedit. Cum enim anno 1388, novè cum Wenceslao socero & Rudolpho affine, pacta inirent Fridericus ac Bernardus, hicque sigillatim sibi prospiceret, à Conrado Sternbergio, quem cum Schwikfeldis

B

diis

diis Henricus sibi conciliaverat, interceptus est. Fridericus, offensus forte pactis, societatem Henrico fratri sponndit, fidemque socero renunciavit. Reviviscentibus igitur bellorum tumultibus, Winsenam arcem Wenceslaus ad Alleram extruxit, Senatusque Luneburgensis præsidio muniit. In Cellensi obsidione teli ictu occumbens omnem post se traxit Saxonum fortunam. Fridericus enim & Henricus, expugnatâ arce Winsena, ad interneccionem ferè Saxonum copias profligarunt, Ducatumque Luneburgensem fortiter sibi vindicarunt. Wenceslaus in nova æde S. Michaelis Luneburgi conditur. γ)

α) *Titulus hic legitur in diplomate apud Schurzfl. in tract. de Vit. Eccles.* β) *Cranzius L. X. Saxon. c. VI. Sagittar. in Memorabilibus Histor. Luneburgicæ, §. 35.* γ) *Cranz. L. X. Saxon. c. VII. IIX & XII. Sagittar. l. c.*

§. 11. Filius Wenceslai *Rudolphus III.* prudens quidem ast satis infelix α) Princeps, intempestiva morte filiis orbatus, possessionem Ducatus Lüneburgensis, prælio ad Alleram minùs secundo, amisit, jure tamen suo se non cessisse, dum titulo Ducis Lüneburgensis diu uteretur, satis testatus est. β) Cæteroquin bello laceffitus ab Archipræsule Magdeburgensi & Henrico de Werberga, præposito, utrumque confertâ manu fudit. Captivis ultrâ quatuor millia lytri loco extorsit. Archipræsulem non nisi hâc conditione dimisit, ut fratrem Wenceslaum, consentiente capitulo, in coadjutorem sibi adscisceret. γ) Legatus anno 1418. ad Bohemos, componendorum post Hussi supplicium extortorum tumultuum ergò, à Sigismundo Imperatore missus, venenata fertur interemtus potione. δ)

α) *Ita Fabr. loquitur in Elect. Sax. p. 18.* β) *Sagittar. l. c.* γ) *Vet. Chron. Magdeburgens. Tom. II. Meibom. Script. Germ. Dresser. p. 383. chron. Saxon.* δ) *Cranz. L. XI. Sax. c. III. Fabr. l. c.*

§. 12. Successor Rudolphi *Albertus III.* Frater, extitit, cui Sigismundus Imperator Wratislaviæ, anno 1420, ubi cum Offega, Conradi Ducis Ostiensis filia, nuptias Albertus celebrabat, feudum Saxonix contulit. Emortuâ enim in hoc infelicissimo Principe omnis Ascaniorum dignitas; extinctum, quò fulgebat hæctenus ipsorum familia, memorando inconstantissimæ fortu-

fortuna exemplo, Electorale decus, Vix exim & ne vix quidem triennium post nuptias exegerat Albertus, cum exorto in rustica casula, in quam ex venatione, cui in Lochavianis saltibus vacaverat, ingruentibus tenebris se receperat, incendiô, vix nudus evaderet, morboque exinde contracto, post paucos dies, extingveretur. Sepulturam ultimus ex Anhaltinis adeptus est Wittembergæ.

*De hoc legi possunt Fabr. l. c. Henning. part. II. tab. Tertii Regni. p. 172.*

*Schurzfl. de vitricis Eccles.*

§. 13. Hæc igitur Ascaniorum Principum, qui Saxonix Electores fuere, series; quorum in tabula, quantum fieri potuit, accurata exhibita est genealogia.

§. 14. Vacuum Electoratûs Saxonici feudum plurimi Germania Principes ambierunt. Ericus Lauenburgicus hæritario jure & investituræ Cæsareæ diplomate, Norimbergæ fraudulenter scripto sigilloque obsignato, nitebatur. a) Fridericum Bellicosum Misniæ Marchionem, insignis industria, bello Hussitico præstita, plurimaque alia in Imperium merita commendarunt. Atque inde Sigismundi Imperatoris beneficio Elector Saxonix constitutus, Budæ insignia, procurante Johanne Stullingense Landgraffio, adeptus, anno 1426 à Johanne Comite Lupfense in Saxoniam introductus est. β) Erico Lauenburgico, pertinaciter titulum & dignitatem Electoralem sibi vendicanti, responsum; solius Lauenburgici Ducatûs feudum Francofurti ad Mœnum ab Imperatore ipsi collatum esse, eumque tunc, non nisi unico saltem vexillo, de more in campum processisse, neque etiam aliàs, vivis adhuc Rudolpho & Alberto III, Electoratum Saxonix potuisse obtinere, cum vel maximè dicti Principes cognatum agnoscere ipsum recusaverint, & ne quidem committere voluerint, ut in solenni pompa vexillo ipsorum manum admoveret Ericus. γ) Proinde, quæcunque de diplomate Imperatoris dicebat, falsa esse & ab ipso conficta, constat. Cæterum Friderico Brandenburgico Electori, qui Ducatum Saxonix, defuncto Alberto III, ne detrimenti quid caperet, interim occupaverat, 28000. fl. pro impensis Fridericus Bellicosus numerare jussus est. δ)

- a) *Acuratiffimè hacedocet Spalatin. in chron. Saxon. conf. Fabr. l. c.*  
 b) *Vid. Spalatin. l. c. Albin. in chron. Misn. p. 112. Krauß von*  
*Gunzenhausen/von Ursprung des Hauses zu Sachsen. p. 109.*  
 γ) *Fabr. in Origin. inque vit. Friderici Bellicosi. conf. Autorem*  
*von Sachsen. Lauenburgischen Stamm. Fall. d) Spalatin. l.*  
*c. Peucerus in chron. Carion. p. m. 850. Albin. p. 210. Chron. Mi-*  
*senens. ubi 20000, marcarum numerasse Fridricum asserit.*

## CAP. II.

### Argumentum :

§. 1. *Vita Friderici Bellicosi; Wilhelmi II & Sigismundi*  
*filiorum. (2) Friderici Placidi (3) Ernesti Electoris, fi-*  
*liorumque Alberti & Ernesti Antistitum (4) Friderici*  
*III. Sapientis. (5) Jobannis & Jobannis Ernesti (6) Jo-*  
*bannis Friderici I; Jobannis Friderici II ejusque filiorum*  
*Casimiri & Jobannis Ernesti, principum Coburgensium.*  
*(7) Jobannis Wilhelmi; Friderici Wilhelmi I; Job. Phi-*  
*lippi; Friderici VI. Friderici Wilhelmi II ejusq. natorum,*  
*principum Altenburgicorum. (8) Jobannis II. Vinariens-*  
*is & prolis ejus, Jobannis Ernesti, Friderici VII, Alberti*  
*III, Bernbardi Magni. (9) Ramus Vinariensis, ubi vi-*  
*ta; Wilhelmi II; Adolphi Wilhelmi; Jobannis Georgii*  
*Ifenacensis & c. Bernbardi II. Jenensis filique Job. Wil-*  
*helmi (10) Jobannis Ernesti; Wilhelmi Ernesti & Jo-*  
*bannis Ernesti, natorum (11) Ramus Gothanus, ubi vita;*  
*Alberti Coburgensis; Bernbardi II. Meinungensis & c.*  
*Henrici Rombildensis; Christiani Eisenbergensis; Er-*  
*nesti Eisfeldensis; Job. Ernesti Salfeldensis. 12) Friderici*  
*IX. Gothani & prolis ejus.*

§. 1.

**C**ommemoratis igitur Electoratûs Saxoniae, sub  
 Ascaniorum gente, fatis, ad *Fridericum Bellicosum* redire  
 æquum est. Natus iste Princeps, ut dictum, *Friderico*  
 Strenuo Marchione Misnico & *Catharina Heñebergica*  
 Paren.

Parentibus, à teneris statim ungviculis, omnibus Principe dignis, virtutibus animum imbuit. Literas literarumque studiosos plurimum, amavit. Testimonium præbet celeberrima Lipsiensi Academia, quam ex disturbata Pragensis collegit reliquis. Cum enim tria illa in Electione Rectoris, Caroli IV Imperatoris privilegio confirmata Germanorum genti, suffragia Bohemis à Wenceslao Imperatore, Husso procurante, adjudicarentur, incenso collegio Theologico, ingens studiosorum, numerus Pragâ 1408. demigravit. Partem horum, cum Johanne Hoffmanno Schweidnicense, qui Rector Academiae Pragensis fuerat, hinc inde vagantem, Lipsiæ Fridericus excepit. Denique amplissimis, tum ex arario, tum villarum redditibus, stipendiis & collegiis, uno in viâ Petrina altero in Equestri, ipsis prospexit. Et cum Anno 1409. confirmationem Pontificiam, diplomate Pisis d. 9. Septembris scripto, impetrasset, die 2. Decembris more solenni, in maxima Episcoporum, Prælatorum, Abbatum, Magistrorum & Doctorum celebritate, recentem Academiam introduxit. Rectorem Magnificum constituit M. Johannem Othonem de Münsterberg, SS. Theologiæ PP. qui B. Virginis collegium exstruxit & primus è XLVI, Magistris & Doctoribus matriculæ Lipsiensi insertus est. Decanus fuit M. Bernhagius Saxo. Professore autem Theologiæ primum egit Grunerus Zwiccaviensis. Membra in quatuor nationes Polonicam, Bavaricam, Misnensem, & Saxoniam distincta sunt; ex quibus duodecim majori Principum collegio in via Equestri, Petrino autem octo tantum collegæ Præfecti sunt. Cancellarius Universitatis Episcopus Mersburgensis, vi Privilegii Pontificii, quod conservatorii dicitur, extitit a). Militariibus adsuetus artibus Fridericus, per universum vitæ curriculum ab armis nunquam ferè destitit. Prima enim militiæ tyrocinia duce Friderico Burggraffio Norimbergico in bello adversus rebelles imperii civitates anno 1388. vix ephæbus, deposuit. E Livonico bello, contra Paganos à militia sacra Teutonica gesto, & Pragensium urbis obsidione, quò Wilhelmum Patruum, anno 1401. secutus fuerat, aurata Equitis Insignia reportavit. b) Præfecturæ Landsbergensi à Parente præpositus, Erfurtenses,

B 3 civi,

civi, qui conductis à Schwarzburgica gente Leuchtenbergæ ar-  
cis & oppidi Calbæ reditibus, rusticum in proximo rivulo pi-  
scantem de salice suspenderit, receptaculum concedentes, justâ  
indignatione motus, occupatâ arce ac oppido dicto, ultus est γ)  
Ballenstadium, in Hercyniis latronum arcem, diruit; Hohenstei-  
nium comitem, insolentem, ad officium redegit: Schwarzbur-  
gicum, Franconicas suas possessiones, Herbipolitani præfulis o-  
perâ, vastantem, domuit. Factionem tribulariam Schwarz-  
burgici & Heldrungensis comitum ductu conflata, expugna-  
tis Heldrungâ arce & Viâ oppido disjecit. δ) Staupizium Griben-  
stenii obsidens potestatem uxori ejus fecit, charissima inde, quæ  
haberet, deportandi; quæ, raro fidei exemplo, maritum hume-  
ris exportasse fertur. ε) Sigismundo Pragam, arce proditione  
captâ, obsidenti auxiliares copias advexit, quæ Zisckam monte  
urbi propinquo depulsuri, inter itinerum anfractus, non levem  
cladem passæ sunt. Pro stipendiis Nimburgum Austiam, Bri-  
xiam, & Commetavium pignoris loco accepit ζ). Brixiam Pra-  
genses, recuperato Wischradio, eam obsidentes, fortiter depulit,  
anno 1421. Cadanum & Commetavium, expugnatas ante, rece-  
pit. η) Anno 1426. atrocissimum fortunæ ictum expertus est.  
Præfecti enim ejus Austæ & Brixie, Litomericensem agrum de-  
populantes, Pragenses & Taboritas concitaverant, ut commu-  
niconfilio Misnenses Bohemiâ ejicere decernerent. His cum  
Catharina Brunsvicensis Electorissa, absente in Hungaria pe-  
nes Imperatorem Friderico, quantas posset, copias objiceret, Bo-  
sonis & Apollonii Vizethumiorum, (in quorum fratrem, obalie-  
natam pecuniam, Elector animadverterat) perfidiâ, hostes præ-  
lio superiores facti, ingentem Misnensibus cladem intulerunt.  
Burggravius Misnensis, & cum ipso sex Comites, quatuor Ba-  
rones, & triginta sex nobiles cæsi, sub pyro sylvestri in via, quâ  
Austâ Teplitium itur, ad pagum Przedlice sepulti sunt. Pyrus  
istâ semper flores, nunquam fructus ferre dicitur. θ) Frideri-  
cus, denunciâtâ hâc clade, ita perculsus est, ut in adversam labe-  
retur valetudinem, quâ, postquam, gravi habita oratione, pieta-  
tem, justitiam & concordiam filiis, filios verò & patriam familia-  
ribus commendasset, anno 1428. prid. Non. Jan. vivis creptus  
est.



est. ι) Sepulchrum habet in arce Misnensi, quod diu propter Hussitarum metum, qui ne cineribus ejus pepercissent, occultatum fuit. Altenburgi Cenotaphium saltem seu tumuli species conspicitur κ). Ex Catharina, Henrici Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis filia genuit

I.) FRIDERICUM PLACIDUM, de quo sequenti §.

II.) SIGISMUNDUM. Qui anno 1416. in lucem hanc editus, delectis, ætate virili, sibi urbibus Rochlizio, Altenburgo, & Weidâ, certa que in super in annuos sumtus pecuniâ, fratribus hæreditarias permisit provincias. Vocto Plauensi, ob non solutam statò tempore pensionem, quam pepigerat, subitâ indignatione motus, Weidam vendidit. Mongalem Miltenfortensem, Westphalam, deperiens, ab Episcopo Mersburgense, lacris se initiari curavit. Cognitis verò clandestinis ipsius amoribus, à fratribus Friburganæ ad Unstruttam arci inclusus est. Dimissus inde Herbipolitanæ Ecclesiæ anno 1440. præfectus; à Collegio autem profusionis accusatus, præterlapso vix triennio, promissis sibi in annuos sumtus quindecim argenteorum millibus, Episcopatu cessit. Scharffensteini deinde, in montana regione, custodia traditus est. Tandem Rochlizio receptò, hydropico morbo, ipsa natalis Christi nocte anno 1457. ætat. 57. extinctus, & Misnæ in sacello, Basilicæ adstructo, sepultus est. λ).

III.) HENRICUM, nat. an. 1422. denat. 1435.

IV) ANNAM Ludovico III. Hassiæ Landgraffio elocatam.

V) CATHARINAM Friderico II. Electori Brandenburgico anno 1441. matrimonio junctam.

VI) WILHELMUM nat. anno 1425. Is in bello Bohæmico sub Friderico fratre militavit, & Herbipolitanos, ut Sigismundo Præsuli repudiato satisfacerent, unâ cum Friderico Electore an. 1443. coëgit. Eodem ferè tempore FRIDERICUS III, Imperator, Luzenburgensis Ducatûs partem ab ALBERTO focero, anno jam 1439. Wilhelmo promissam, confirmasse ipsi perhibetur. μ) Eâdem verò mox sequenti anno à Philippo

ippo Burgundionum Duce, cui Elisabetha Bavarica partem suam, accepto pretio, cesserat, capta Luzenburgo metropoli, & ejecto inde Henrico Glichense prefecto, exutus est. v) Hoc anno Armeniacos, latronum colluviem, ad Rheni ripam solâ adventûs sui famâ disjecit. Anno 1445. paternas cum Fratre Friderico provincias partitus est, unde funestum illud bellum civile conflatum, de quo inferius plura dicemus. Cæterum Wilhelmus, aliquoties, componendæ pacis ergo, factis induciis, quò Bohæmicum militem rapinis assuetum in officio contineret, Coloniensi ArchiEpiscopo, adversus Sufatum Westphaliæ urbem, quæ ad Johannem Clivensem defecerat Ducem, militatum abiit. Desperatâ tandem expugnatione, dum fortissimè urbani Duce Clivensi propugnarent, rebus infectis anno 1447. discessum est. Coloniensis Antistes acceptis ducentis & quinquaginta Rhenensium millibus, quæ bello impenderat Wilhelmus, collegium ipsi obligavit. o) Pace cum Friderico fratre anno 1451 compositâ, Apollonium Vizethumium domuit, qui Coburgum, in bello civili pro Roslâ oppido ejus incenso, interim à Wilhelmo, dum sua reciperet, simulatâ donatione traditum reddere renuebat, interceptis insuper, ut Wilhelmo apud exteros labem adspargeret, ex itinere legatis Burgundicis ad Fridericum Electorem missis. Apollonius in Bohæmiam exulatum ivit. Legati Burgundici libertate ac muneribus donati in patriam remissi sunt. π) Anno 1454. à Friderico fratre Electore ad Ladislaum, Bohæmiæ Regem missus legati vices sustinuit. Pragæ dum moraretur, literæ in Casimiri Polonorum Regis, à Cruciferis in Prussia devicti, curru inventæ, ad ipsum translatae sunt. Ex his prodicionem Apollonii Regisque de invadendâ, si superior in Prussia existeret, Thuringiâ, deque suâ, inchoato bello, in Pragâ retentione, consilia cognovit. Has cum Henrico Brunsvicensi legendas dedisset, primo quovis tempore, licet nondum de finibus inter Regem & Electorem Saxoniae transactum esset negocium, Pragâ discedere statuit. e) Electo post repentinam Ladislai mortem Georgio Podiebrado,

do, delatam sibi à Wratislaviensibus, Gorlicis, ac maximâ  
Silesiæ parte, regiam dignitatem tenuit: Utque Regi Geor-  
gio debiti obsequii officia præstarent, svasit. 5) Ipse filiam  
Annam Henrico, Georgii filio, elocavit, quam Egram duxit,  
ubi nuptiæ celebratæ & WILHELMUS jure suo, in sex pri-  
marias Superioris Lusatiaë urbes, sese abdicavit. Stoghu-  
sios præterea equites, Janum Grimonem & Lambertum, la-  
trocinantes, captis ipsorum arcibus, compescuit. 7) Anno  
1458. inter Bavariaë Ducem Ludovicum, & Albertum Bran-  
denburgicum, de loci cujusdam possessione contendentes,  
pacem conciliavit. 8) In terram sanctam profectus, uno  
saltem ex comitibus itineris XLVI, cive Northusano, amif-  
so, incolumis rediit. 9) Defunctâ an. 1462. Anna Austria-  
ca, quam Ecchardsbergi custodiverat, Catharinam Eber-  
hardi de Brandenstein filiam, Roslæ in matrimonium duxit.  
Adolphus Nassovius, Theodorico Isenburgico, Moguntino  
præsule, à Pio V. Papa abrogato, in ejus locum electus, ad  
tolerandos belli adversus Isenburgium sumtus, quasdam  
in Hercyniis arces Wilhelmo oppignaverat; quibus cum  
Sigismundus Glichenfis Isenburgii præfectus cedere nol-  
let, armis ipsum coegit. 10) Eodem ferè tempore, acceptis  
quingenta scutorum millibus, jus suum in Lüzelburgen-  
sis ditionis partem, Carolo VII. Gallorum Regi, cessit; Qui  
in gratiam Burgundi eidem renunciavit. 11) Ernestum  
Glichensem, ob jactas in conjugem contumelias & captum  
civem Erfurtensem, Thuringiâ pepulit; in comitiis verò,  
Trevirensibus causam suam coram Imperatore postmodum  
agentem, anno 1474, restituit. Anno 1476 Catharinam fili-  
am, Friderico Brandenburgico elocavit; Wilhelmo & Fri-  
derico Brunsvicensibus, adversus rebelles aliquot civitates,  
suppetias tulit, adeoque adventu suo hostes terruit, ut pa-  
cem peterent. 12) Inter Hassiæ Landgravium & Fuldanum  
Abbatem, Rheinhardum, contentionem, de Geisa oppido,  
arbiter electus, composuit. Wilhelmum Rudenitium &  
Rapponem viros militares, latrocinii accusatos, compre-  
hendit; Rapponem exilio; Rudenitium capite multavit.

C

γγ) Cum

γγ) Cum Fratris Friderici filius Lipsiam profectus, gravissima oratione habitâ, concordiam, justitiæque ac veritatis cultum ipsis commendavit. Invectus quoque in illos, qui Principes inter se concitarent. Multos præsentis avaritiæ clam infimulavit, qui sua, patriæ commodis, potiora haberent. De bellis non pauca differuit. Auditus cum admiratione Princeps, quem experientia doctum reddiderat & cautum. E curia descendens Alberto dixit: *Tu aliquando vera me dixisse profiteberis; superos autem precor, ut ditior è bellis, quam ego, evadas.* δδ) Cæterum tanta fuit Wilhelmi auctoritas, ut vulgari proverbio diceretur: Wilhelmo calcariæ pedibus induente, perque arcem Vinariensem incedente, strepitum latè per omnes vicinas gentes exaudiri. εε) Vinariæ anno 1483. peste extinctus, in Franciscano monasterio, à se exstructo, sepultus est. ζζ) Ex Anna Austriaca, quæ Reinhardbornii, in antiquo Landgraffiorum Mausolæo, condita est, habuit,

- 1.) **ANNA M** Henrico Duci Münsterbergio, Georgii Podiebradi, regis Bohæmiæ, filio, anno 1459 elocata m. 1460.
  - 2.) **MARGARETHAM**, Johanni Brandenburgico Electori nuptam an. 1476. denatam an. 1411.
- α) *Cuspin. in Chron. Cesar, sub Wenzeslao, Fabr. in Origin. Saxon. sub Friderico. Theobald. P. I. c. IV. V. & VI. B. H. Balbin. Ls IV. c. IV. Epit. rer. Bohem. Peifer. in Lipsia L. III. Schneiders L. VI. Chron. Lips. Confer orat. secularem Friderici, ab Excel. Dn. Rechenbergio, Peiferi Lipsiæ, adjunctam. β) Autor de Landgrav. Fabr. Lib. VII. orig. Saxon. γ) Albin. pag. 203. Chron. Misn. it. Fabr. l. c. & alii. δ) Fabr. l. c. Spangenberg & Binhard. ε) Fabr. l. c. ζ) Theobald. P. I. c. XXXII. B. H. Balbin. Epit. rer. Bohem. Fabr. l. c. η) Theobald. P. I. c. XLIX. Balbin. l. c. Fabr. Annal. Misn. sub anno 1421. θ) Balbin. l. c. p. 467. item Theobald. Fabr. Albin. & c. ι) Fabr. l. c. sub Friderico hoc. κ) Laurent. Faust. æt. Misn. p. 65. λ) Fabr. Lib. VII. Orig. Sax. in vita ejus. μ) Albin. p. 205. Chron. Misn. ν) Fabr. l. c. in vit. Wilhelmi. ξ) Chron. Elwagiense T. I. Script. Germ.*

Germ. Freber. sub an. 1445. conf. Fabr. l. c. o) Fabr. loc. cit. Sylvius, de statu Europa sub Friderico III. In p. Tom. II. Freber. Script. p. 70. π) Fabr. l. c. ρ) Fabr. l. c. Sylv. & alii σ) Spangenberg in Chron. Mansfeld. τ) Fabr. l. c. Albin. p. 227. Chron. Misn. υ) Spangenberg l. c. it. Fabr. φ) Spener. in Syllog. Genealog. sub Wilhelm. χ) Fabr. l. c. ψ) Fabr. l. c. ω) Spangenberg. Chron. Mansfeld. αα) Peifer. in Lips. Fabric. l. c. ββ) Fabr. l. c. Spener. in Syllog. γγ) Peetruch. p. 151. Chron. Portens. Fabr. l. c.

§. 2. FRIDERICUS Misenæ anno 1411. lucem hanc aspexit, parentibus supra dictis progenitus. Propter mansuetudinem, *Placidi* cognomen commeruit. A Pontifice ejusque legato persuasus, strenuè adversus Hussitas, pro salute imperii Romano-Germanici, pugnavit; nec quicquam ipsi, præter fortunam, defuit. Austiam obsidens depulsusque, hostium iram adeò in se concitavit, ut, post funestam militiæ Germanicæ ad Mysam internecionem, Hussitæ, Procopio Raso duce, Misniam & Saxoniam, Magdeburgum usque Lusatiamque universam ferè, crudelem in modum, igne ferroque, anno 1427. depopulerentur. Sequenti anno, agris circa Dresdam & Misniam devastatis, Lommazio, Colditzio, Mogella, Dobela, & Goldbergâ direptis, legatoque Friderici Electoris Polenzio, qui transitu Muldæ prope Grimmam ipsos prohibiturus erat, propulsato, ad Lipsiam, ubi tunc morabatur Fridericus, accedere audebant. Cum verò ipsum non possent ad pugnam elicere, in Osterlandiam & Voigtlandiam conversi, Altenburgum & Plaviam, ubi Sternbergius, Baro Bohemicus, custodiebatur, aliasque plures civitates captas, deleverunt. Plaviæ duodecim monachos; octo scil. Marianos & quatuor Dominicanos, vivos sepelierunt. In Franconiam denique progressi, postquam omnia longè lalateque depopulati essent, in Bohemiam reversi sunt. Anno autem 1431. in Lusatiam reduces & ad Reichenbachium rusticos intra vallum obsidentes, à Misnensibus & Lufatis auxilia sibi invicem ferentibus, castris amissis, in fugam compulsi sunt. Eodem anno pactum confraternitatis, inter Fridericum ac fratrem ab unâ, & inter Ludovicum IV. Hassiæ Landgraffium ab altera

parte renovatum est. Postmodum, mense Augusto, expeditioni in Bohemos secundæ Fridericus noster fertur præfuisse; quod tamen alii Friderico Brandenburgico tribunt. Hæc autem, ortâ inter principes dissensione, non saltem frustra fuit; sed duplicem Heroi nostro, à lociis deserto, cladem attulit. Solus enim cum suis hostium potentix objectus, fusus fugatusque, mille & ducenti currus, tormenta curulia centum & quinque, aliaque arma & impedimenta amisit. Irritatis enim hostium, hæc vice, animis, Misnia, Voigtlandia, & Osterlandia, tertiâ vice, exustæ atque devastatæ sunt. Exercitus Electoris ad Taucham, una cum Bavaricis & Saxonis auxiliis, occurrens hosti, altera vice, profligatur. Hinc Lipsiensibus obsidionis metus injiciebatur. Ast hostes, intactâ urbe, vestigia relegerunt. Anno 1433, Ericus V. Lauenburgicus, ob alienatum injustè, ut ferebat, Electoratum Saxonix, ad Concilium Basileense appellavit; cujus ibidem quoque legati, supra Friderici nostri missos, sedem occupaverunt. Ast Imperator Sigismundus non irritam saltem hanc appellationem in comitiis declaravit, sed, datis quoque ad Eugenium IV. literis, ut in posterum, Friderico legitimo maximè Electori legatisque ejus, honor exhiberetur debitus, contendit. Anno 1435, à Bohemorum incursionibus paulisper securus, Gunthero Archiepiscopo Magdeburgensi, à suis pulso, suppetias tulit Halimque obsessam ad pacis conditiones compulit. In ea obsidione puer, à cura Electori, ad lacus ipsius, saxeo globo ictus, interiit. Anno 1438, Frauensteinum ad Muldam, Dieterici Vicethumi arcem, latrocinantium receptaculum, evertit. Alberto II Imp. in Sigism. soceri locum electo, adversus Casimirum, Polonix regem, auxilia adduxit. Dilapsis Polonis, omni comœatu interclusis, cum rediret inde Fridericus, in montanis ab hostibus oppressus, vix sexaginta suorum amissis, ingentem hostium stragem edidit. Redux in patriam, arcem latronum in Herciniis Hetstetam, Hassi ope, expugnavit: Halberstadios, Quedlinburgenses & Ascherslebios, latronibus obnoxios, pecuniâ multavit. Defuncto sine hæredibus Friderico, Balthasaris filio, Thuringiam anno 1410, unâ cum fratre Wilhelmo, obtinuit, Hinc rem nummariam correxere, cufis

cum

cum capite Judæi pileati nummis, quorum viginti aureo Rhe-  
nano valebant. Sigismundo fratri, Herbipolitano præfule, ad-  
versus collegium, fortem navavit operam. Adversus præfulem  
Magdeburgicum, bellum parans, cum illum nihil moliri, sed  
suo munere fungi, causamque Deo committere, cognovisset, di-  
xisse fertur: *Alius insanias & contra eum suscipiat bellum, quem  
Deus defendit;* armaq; statim deposuit. Post hæc ferale, inter fra-  
tres, bellum exortum est. Conjunctim hæctenus patrias posse-  
derant provincias, annuos redditus æqualiter partiti. Anno au-  
tem 1445, antequam cum Anna Austriaca, quæ Echardbergi  
hæctenus educata fuerat, nuptias Wilhelmus celebraret, divisio  
placuit. Convenire autem minus inter ipsos poterat, Geor-  
gio Bebenbergio, qui Electori à consiliis erat, & Apollonio Vi-  
cethumio, qui Wilhelmo ministeria probabat, principum ani-  
mos magis inflammantibus, prout creditur, quam componen-  
tibus. Conventus, Numburgensis & Ziticensis, fuere frustra-  
nei. Halam deinde denuo conventum. Ibi Fridericus II,  
Brandenburgicus, Ludovicus IV. Hassiæ Landgraffius & Hen-  
ricus Brunsvicensis, Principes affines & cognati, quibus permis-  
sum erat arbitrium, præsentibus pluribus Episcopis, Abbatibus,  
Nobilibus, Legatisque urbium Imp. Norimbergæ, Erfordiæ &  
Northusæ, in Franciscano cuique certas assignarunt possessio-  
nes. Atque ita tum utrinque in pace discessum est. Ast cum  
paulò post Thuringi, consentiente Wilhelmo, fœdus mutuæ de-  
fensionis, cum Antistite Magdeburgico, iniissent, cui inserta e-  
rant verba; *ne, defuncto principe, successoris istius prestaretur  
homagium, nisi hæc decreta Nobilitati ac populo confirmasset;*  
Electo sibi hæc in præjudicium cedere existimans, conquestus  
apud Wilhelmum, insuper quoq; petiit, ut, si concordēs fratrum  
animos salvamq; cuperet patriam, Apollonium & Bosonem, Vi-  
cethumos, ex aula sua juberet discedere, neque consiliis ipsorum  
amplius uteretur. Libellos fœderis suppressit Wilhelmus; po-  
sterius facere renuit, antequam justus criminis convicti essent.  
Anno 1446. nuptias Jenæ celebranti Wilhelmo, de se oppripen-  
do consilia agitari, nuntiatur. Quare, secundo nuptiarum die,  
Weissenfelsam contendit, fratrem observaturus. Fridericus

cum, ut Apollonium dimitteret, Wilhelmo non posset persua-  
dere, Vicethumus vero multa publicè ac privatim in ipsum di-  
xisset, agros ipsius, haud sine subditorum Wilhelmi injuria, de-  
vastavit. Atque ita bellum civile exortum est, quod octo ferè  
annis duravit. Magna utrimque data acceptaque clades est.  
Tentata aliquoties animorum reconciliatio, utpotè Weissenfel-  
sæ, initio statim, Numburgi, Mülhusæ, ubi ab utrâque parte,  
decem arbitri constituebantur; ast irrito semper conatu. Mül-  
husæ quidem aliquantisper conciliati erant, ast mox aliena lis  
concordiam rupit. Henricus enim & Güntherus Schwarz-  
burgici comites, mutux successionis fœdus iniverant: sed cum  
Henricus, Henrici, fratris Guntheri, filius, possessiones Günthe-  
ri, qui *ἀπαις* erat, usurparet, senem verò illiberaliter tractans, ne  
quidem de victu ipsi ac corporis curâ prospiceret, Electori Fri-  
derico, sumtus annuos pactus, ditiones suas Güntherus lega-  
vit. Quare Schwarzburgum per Gerensem Henricum, Gün-  
theri generum, occupavit, Rudolphsteinensem agrum quoque,  
Henrico Schwarzburgico ipsum lacescente, invadens. Wilhel-  
mus Bohemicas iterum evocavit copias, ac deniq; cum Elector  
Adolphi & Sigismundi Glichenium, qui Schwarzburgici no-  
mine bellum ipsi indixerant, possessiones depopularetur, fra-  
tris quoque ministrorum ac famulorum agros, in primis verò  
Gerensis, invasit Geramque obsidione cinxit. Opem quidem  
obseffis laturus erat Elector; ast cum hoc non posset, ut hosti-  
les distraheret copias, in Thuringiam excursionem fecit. Wil-  
helmus verò, brevi Gerâ potitus, Bohemico militi prohibere non  
potuit, quin in cineres urbem redigeret, civibus crudelissimè in-  
terfectis. Gerensis Pragam abductus, peste ibi extinctus est.  
Interim Wilhelmo nuntiatur, Fridericum ballistario, qui, si vel-  
let, fratrem ictu non fallente percussurum se, ad Geram promi-  
serat, respondisse: Age pro lubitu, modo, fratri meo noceas, ca-  
ve. Colloquendi igitur cum Friderico occasionem quæsit,  
Atque sic, cum tandem in edito colle, ex adverso Portæ mona-  
sterio, convenissent, in mutuos irruerunt amplexus, utroque  
exercitu spectante. Numburgi deinde pace firmatâ, Wilhel-  
mus, posthabitis malevolorum dissuasionibus, Lipsiam ad fra-  
trem



trēm concessit. Omnibus, qui non insaniā aut scelere aliquo peccaverant, venia data est, Friderico dicente: Nos cum errorem nostrum agnoverimus, etiam aliis ignoscimus, qui se fatentur errasse. De plebe metallica Friburgense, propter convitia in Electorem, nondum à magistratu castigata, ait: Nobis injuriam verbis factam, verbis, cum eō venerimus, castigabimus. Interea, qui in vinculis sunt, ad nostrum adventum detineantur. g) Anno 1452. legatos ad Burgundum misit, conciliandarum inter utriusque liberos nuptiarum ergò. Quomodo autem à Burgundo missi à Vicethumio intercepti ac tandem liberati sint, præcedenti §. dictum fuit. An 1454. ad Ladislaum Bohemiæ regem, qui LXIV oppida & arces, ad Bohemiam pertinentes, à Friderico repetebat, legatum fratrem Wilhelmum misit, de quo supra. Anno 1455. destandum-Kauffungi plagium accidit. Huic enim Elector in bello civili, Apollonii Vicethumii in Misnia arces ac pagos, fruendos dederat, quoad, pace reductâ, suos in Thuringia agros recuperaret. Quod cum postmodum, compositis belli tumultibus, facere renueret, neque transactionem arbitrūm, utrimque electorum, admitteret, quin potius minas in Electorem spargeret; se de illius sanguine vindictam sumpturum; primum quidem per ignominiam ipsi respondit: caveret, ne pisces in piscinis exureret; non tamen, quiescentem à convitiis, patriā ac bonis pepulit. Kaufungus, in Bohemiam concedens, Isenburgum sibi comparavit. Ibi certior factus à coquo Electoris, quem muneribus ac pollicitationibus sibi conciliaverat, Lipsam, Altenburgō, profectum esse Fridericum, nocte eō venit. Ministris Friderici, quibus filiorum & conjugis custodiam commiserat, in urbe genio gulæque indulgentibus, sine periculò ferè cubiculum principum, per scalas fenestræ applicatas, ingressus, Ernestum &, errore quodam, comitem Barbiensem, pro Alberto, qui sub lecto latitabat, cum sociis eduxit. Mira hic hominis apparet audacia, Cum enim, nocturnâ se deceptum caligine, intelligeret, denuo cubiculum repetere, Albertumque apprehendere, nil motus Electorissæ de fenestrâ prospicientis ( fores enim Gynecæi Kaufungus obfirmaverat ) precibus ac lachrymis, haud verebatur. Quo facto  
ipse

ipse Albertum Bohemiam versus duxit; Wilhelmo Moseno & Georgio Schönfelsio in Franconiam cum Ernesto fugientibus. Vulgatà per urbem perpetrati sceleris famâ, cuncti ad insequendos plagiarios sese accingunt. Electori qui nuntiaret hoc, Lipsiam aliquis ablegatur: campanis quoque subditis facinus significatur. Kauffungus prior interceptus est in saltibus Bohemicis, à carbonario, cui Albertus, decerpendarum, ad tollendam famem, fragarum, facultatem nactus, cum in terram Kauffungus, calcaribus implicitus, procidisset, in aurem susurraverat, se principem esse Saxoniz, ab hoc abreptum. Albertus ab Abbate Grunhanio susceptus, matri, de filiorum incolumitate sollicitæ, Altenburgum remittitur. Kauffungus cum quinque ministris, ab Abbaris equitibus interceptis, Zwickaviam deductus, carceri mancipatur. Mosenus & Schönfelsius veniam delicti, per Vitum Schœnbergium, præfectum Zwickavianum, ab Electore adepti, Ernestum Hartensteini, arce Schœnbergii, restituunt. Habitô supra hâc re iudicio, capti cum Kauffungo capitis damnantur suppliciô. Hincque coqvus proditor membratim Zwickaviæ dissectus, Janus Schweinicius, cum tribus aliis, laqueô peremptus; Kauffungus verò, Freibergam abductus, capite multatus est, postquam frustra vitæ veniam petiisset. Cognati ejus, viri in aula Electoris præpotentes, Hildebrandus Einsidellius, Mareschallus, & Nicolaus Schœnburgius affines, Sleinicius item, ex sorore nepos, qui, si prolata fuisset sententia, ipsum fortassis etiam liberare potuissent, cadaver ejus in templo Petrino humarunt pannumque auro intextum, Caspari Schœnbergii, Misnensis Episcopi, concessione, feretro imposuerunt. Iniquè hoc ferens Elector, per fratrem Wilhelmum, effodi iterum illud inque pagum Neukirchum deportari curavit. Theodorico, Kauffangi fratri, qui per ignominiam dixerat; pullis ereptis, nudum Electori nidum esse relictum; lingua petulans excissa est. Vestes principum Ernesti & Alberti B. Virgini, in templo Ebersdorffiano, sedecim à Chemnicio pedum millibus sito, suspensæ sunt. *b)* Arcem Kauffangi, Georgius Podiebradus, Bohemiz Regis, Ladislai, præfectus, præoccupavit, ne jus sibi aliquod in ipsam sumeret Elector, veritus: dumq; eò reverteretur Auxiam, quo.

quoque, inter incendiū subito exortū tumultus, recepit. 7) Eo-  
dem anno Leisnicensem comitem Elector, fortè quod ipsi in  
civili bello molestus fuerat, oppido exiit: pactum cum Brun-  
svicensi & Hasso fecit iisdemque, ut parem cum ipso in emen-  
danda re nummaria curam adhiberent, persuasit. Anno 1548.  
d. 12. Novembris Annam filiam Alberto Brandenburgico splen-  
didis nuptiis elocavit: demumque generum statim Egram ad  
Georgium regem Bohemiarum ablegavit, ut causam, quæ Ladislao  
vivo componi haud potuerat, tractaret. Hic tantā industriā of-  
ficio suo functus, ut brevi post Fridericus Egram, ad præstan-  
dam regi obedientiam, evocaretur. Rex in perpetuum omni  
suo, quod vindicabat sibi in Misniam, juri, renunciavit, præsen-  
tibus Ludovico Palatino & Alberto Brandenburgico multisq;  
aliis Principibus. Elector Buxia & Hsenburgo arcibus cis syl-  
vam cæssis, reliqua, quæ trans sylvam erant sita, retinuit. Filiam  
quoque regis Zedenam in majorem fœderis confirmationem  
Alberto filio desponsavit. Nuptiæ fuerunt Egræ: Sponsam  
vix nonum agentem annum, ne Hussitica imbueretur doctrinâ,  
Albertus suis educandam tradidit. Dos erant quatuor & sexa-  
ginta arces ac oppida, de quibus controversia fuerat, Alberto  
cum Marchionis Misniae titulo collata. 8) Circa annum 1462.  
metalla Geusenbergi, haud procul Grauppa oppido, famam na-  
cta sunt; cumque, immunitatibus ab Electore concessis, maxi-  
mus eò fieret metalli fossorum confluxus, Altenbergii oppidi  
initia inde cœperunt. Anno 1464. Fridericus pace undequaq;  
svavissima renitente, placidè obdormivit. Sepultus in sacello,  
Misnensi Basilicæ à se adjecto. 9) E Friderici III. Imperatoris so-  
rore, Margareta, ductâ an. 1431. m. 1486. progenuit

- 1) Henricum m. 1435. mens. Augusti.
- 2) Amaliam n. 1435. uxorem Ludovici divitis D. Bavariæ,  
m. 1502. d. 18. Novemb.
- 3) Annam n. 1436. Conjugem Alberti Achillis, Electoris  
Brandenburgici, m. 1512. d. 31. Octobr.
- 4) Fridericum m. 1451. mense Decembr.
- 5) Alexandrum m. 1446.
- 6) Ernestum n. 1441. d. 25. Mart. de quo sequenti §.

D

7) Al-

- 7) Albertum, n. 1443, d. 27. Jul. de quo seqv. Cap. §. i.  
 8) Aureliam.  
 9) Hedwigim Abbatisam Quedlinburgensem, quæ cives  
 seditiosos fratrum ope compescuit, dejecto Rolandi si-  
 mulacro. Obiit Anno 1511. d. 12. Novembr.  
 10) Margaretham, Abbatisam Suselizensem.  
 a) Theobald. & Balbin. l.c. sub his annis, Fabric. L. VII. O. S. in  
 vita Friderici hujus. ß) cit. Antores. l.c. conf. Mutii Chron.  
 German. Tom. II. Freber. Script. Germ. γ) Linn. in J. P.  
 Goldst. Tom. III. Constit. Imper. p. 440. seqq. & 538. δ) Fabr.  
 loc. cit. ε) Theobald. & Balbin. l.c. ζ) Fabr. loc. cit. Conf.  
 Spangenberg. Chron. Mansfeld. η) Fabr. l.c. in vit. Wilhelmi &  
 Friderici. Chron. Thuring. Binbaridi. Sylvius de Stat. Europe  
 sub Friderico III. Imp. c. de Thuringia. T. II. Freber. S. G. θ)  
 v. imprimis Weckium in descript. Dresd. p. 166. Conf. Fabr. l.c.  
 Bohem. in vita Alberti Animosi & c. ι) Theobald. & Balbin.  
 l.c. κ) Fabr. l.c. & reliqui, adducti jam. λ) Fabr. in an-  
 nal. Misn. sub hoc añ.

§. 3. Post FRIDERICI PLACIDI obitum serenissima Sa-  
 xoniæ principum familia in duas divisa fuit lineas; quarum pri-  
 or quatuor sevit Electores Saxonie Potentissimos; altera ean-  
 dem dignitatem in hodiernum sustinet.

Prioris Parens ac sator existit ERNESTUS major natu Fri-  
 derici Placidi filius, qui cum Alberto fratre anno 1466. Vien-  
 nam profectus, Electoratus insignia solus, ducatus simul cum  
 fratre à Friderico III. Imp. accepit. Alberto Brandenburgico,  
 cum Johanne Sagano Duce, de Ducatu Crossano litiganti sup-  
 petias misit; cumque Saganus ad incitas ferè redactus esset, du-  
 catum ab ipso emit Ernestus pro 55000. aureis Ungaricis a).  
 Plauensem Voctum Henricum, cum Bunona uxore, ultra mo-  
 dum subditis suis molestum, cum verbis non posset, vi domuit,  
 Platna & Voigtbergá sub potestatem redactis ipsoque in Bohe-  
 miam compulsio. Brandenburgico Electori adversus Stelmei-  
 norum factionem suppetias tulit ß). Paulo II. indulgentiis de  
 peccatis commissis & committendis in quartam usque proge-  
 niem datis, inter alios ipsum quoque adversus Bohemos exci-  
 tantis

tanti, de consilio Wilhelmi patruī, respondit: Majores suos, per annos quadraginta solos ferè Bohemorum furori expositos, ingentia perpeſſos eſſe damna; hęc igitur neceſſitate compulſos Imperatoris & Pontificis conſenſu, aſſinitatem iniviſſe cum Georgio. Ne igitur contra aſſinem arma ferret, pietatem monere viresque belli superiores prohibere. Ut verò cauſam publica privata anteponeret, ſi Imperator ipſe præſens ſit expeditioni, aut Ducem è Germania ſtatibus deſignet, omnesque præterea Principes eidem interſint, promptiſſimam polliceri ſe operam. Hęc Ernesti prudentia commotus Imperator invitum compellere ulterius noluit. Ernestus rogatus Georgio ~~adver-~~ adversus Wratislavienses & Matthiam Ungarię regem, quem adversus Bohemos armaverat Pontifex, cum Alberto Brandenburgico ſelectam manum equitum in auxilium miſit  $\gamma$ ). Circa annum 1472 Schneebergenses metalli fodinę argenti adeò fecundę exſtiterunt, ut, monerę loco, maſſa argenteę infectę penderentur foſſoribus ipſorumque Magiſter Ducibus, cum ipſorum familia, in menſa argentea cum ſella exciſa, convivium adornaverit  $\delta$ ). Sequenti anno, Duxâ & Riſenbergâ arcibus Bohemię expugnatis, Lipſiam cum fratre ad conventum profeſtus eſt, in quo Wilhelmus patruus gravi ipſos ſermone ad colendam inter ſe invicem concordiam hortabatur, ut ſupra jam dictum. Denique Caſimiro Polonię & Matthiâ Ungarię regibus, in Sileſiam, aream quaſi, in qua Marte de Bohemię regno contenderent, deſcendentes, futuri providus periculi Ernestus, cum Brandenburgico in Sileſiam delatus, uſque adeò conciliavit, ut reduëtis exercitibus per legatos tractandum decernerent negotium. Ad quorum conventum ex ſuis quoque Ernestus, Wilhelmum Comitem Hennebergium & Johannem Scheibam Jct. Lipſ. ablegavit  $\epsilon$ ). Sorori Abbatiffę Quedlinburgenſi adversus cives inſolentes, deſtructa Rolandi ſtatua, opem præſtitit; Halberſtadios Præſulis Gebhardi ætate ac indulgentiâ abuſos Quedlinburgenſibus opitulantes, dato Adminiſtratore Magdeburgenſi Epifcopo filio ſuo, in obſequio continuit. Ernesto filio, Magdeburgenſi Archiepiſcopo, adversus Hallenſes, poſt obitum Johannis Senioris Antiftitis, de offi-

ciis publicis concertantes, auxilia adduxit. Cum plausu à plebe exceptus, multatis ditioribus, qui, exclusis reliquis opificibus, dignitates in urbe sibi vindicaverant, pacem urbi restituit. Anno 1478. Sixtum VI. Papam salutans, rosâ donatus est aureâ, quam Basilicæ Misnenensi dicavit. Interea ALBERTUS, à ministris Ernesti malè habitus, Torgam concesserat, quo omnem discordiæ occasionem evitaret. An. 1482. denuo ab Ernesto filio in auxilium evocatus Elector, Halberitadios, qui defuncto Gebhardo, Querfurdium comitem posthabito Administratore elegerant, ad deditiorem compulsi. Querfurdio, quem in sacro cratio à milite oppugnatum fortissimè sacrificuli defendebant, veniam penes filium impetravit. Magistratus ære multavit; Nobilibus suspectis spem obrinendæ in collegio dignitatis ademit. Ab hoc tempore mansit apud Magdeburgicos Halberstadiensis Episcopatus. Postmodum leges sumtuarias, vestiarias &c. subditis suis præscripsit Ernestus. Nummos Schneeburgianos, quorum XL. aureum valent Rhenanum, percussit. Nobilibus cauponariam & Institoriam interdixit, nè que in villis suis, præter fabrum & linteonem, alerent opifices, edicto sancivit. Magistratus, annonam, pabulum, ac reliqua alimenta, certo pretio licitari iussit, ut peregrinantibus commodaret. Homicidis, latronibus, fugitivis ac improbis, domicilium ne pateret in provinciis suis, cavit (?). An. 1482. cum Alberto fratre paritatus est hæreditatem convenitque inter arbitros, post diuturnas deliberationes, permittè eas distribuere, stabiliendæ concordie ergo, ne unus alterius posset impunè populari agros. In una igitur parte constituerunt, oppida Misniæ & Plissenfis tractûs XII. Thuringiæ XXXVIII. Saxonie XXI. Franconie LX. Voigtlandiæ XII. additâ ingenti pecunia: in altera collocavere oppida, Misniæ & Osterlandiæ XXXII. Thuringiæ XXII. Ex decimis Metallifodinarum cuilibet partem quique ad alterutram Præfules, Abbates, Comites, Dynastæ, & Nobiles pertinerent, designarunt. ALBERTUS optione sibi factâ minorem & cui nulla adjuncta erat pecunia, portionem elegit. Factum hoc Lipsiæ an. 1485. n) Sequenti, Francofurtensibus comitiis, ubi Maximilianus, Friderici III. filius, in Romanorum regem eligebatur, post-

postquam interfuisset Ernestus, in arce sua Choldicensi obiit. Filius Tutorem, Sigismundum Glichensem, constituit & Mi-  
fenz, in monumento patrio, conditur. Primus omnium Ele-  
ctoris titulum admisit. 1) E matrimonio Elisabethæ, Bavariæ  
Ducis filia, biennio ante ipsum mortuæ, genuit

I.) CHRISTINAM, n. 1462. anno autem 1476. JOHANNI Danorum Regi nuptum datam & demum anno 1521<sup>o</sup> defunctam.

II.) FRIDERICUM III. Electorem, de quo seqv. §.

III.) ALBERTUM, n. 1464. qui in aula Theodorici, Isenbergii comitis, Archiepiscopi Moguntini, educatus, anno ætatis XVIII. a. C. N. 1482. ejusdem operæ & consilio, successor, ipsius post obitum, constitutus est. Academiam, à Theodorico ceptam, amplificavit: Erfurtenses, quod arcem in monte Cyriaci, concesso Vestalibus, qui cœnobiū ibi habebant, intra mœnia hospitio, arcem ipso inscio, ut præsidium urbis esset, exstruxerant, pecuniā mulctavit. Biennio vix elapso, feбри ardente, in arce Aschaffenburgō, defunctus est, an. 1484. d. 1. Maj. sepultus in Basilica D. Martini Moguntiaæ x).

IV) ERNESTUM n. 1466, qui Johanni, Magdeburgico Antistiti, adjutor datus, à Patre quatuor millium comitatu Magdeburgum ductus est. Anno 1478. Hallenses tumultuantes & Halberstadios cives, qui defuncto Gebhardo, cui substitutus erat Ernestus, Querfurtensem comitem delegerant, parentis ope compescuit. Laurentium Halecium, latrocinii infamem, apud Henricum Brunsvicensem detulit, cujus permissione arcem illius, Bebelingam in Hercyniis, Halberstadiensi diœcesi acquisivit. x) Anno 1489 nondum solenni ritu inauguratus, à Tilone Mersburgico præfule, pedum, infulam, annulum & reliqua insignia, sine ulla inani pompa, subministrantibus Bosone Havelburgio & Theodorico Numburgano præsulibus, in sacra æde sibi publicè exhiberi curavit. λ) Pietatis iste Princeps laude, si non superior, cunctis tamen, quos hâc virtute insignes historiarum nobis

Eundem in Italiam anno 1480 comitatus, Phœnices, Syros ac alias longè distitas gentes invisit. a) Nave, quâ Wittebergam cum fratre profectus, vix egressus erat, cum glacies subito flumen tegens in duas partes eam rumperet. Igitur fratri fertur dixisse: *Fateamur nos divinitus esse servatos ideoque grati hoc DEI O. M. beneficium celebremus, quinos non minus in hoc periculo quàm in aliis protexit. Quod vero nobis jam egressis dilaceratur navis, metuo ne post nos aliquam Domus Saxonica distractionem aliquando portendat* (B). Defuncto parente anno 1486. Elector factus, provinciarum regimen cum eodem fratre adiit. Ungarorum in Lusatiam excursions fortiter excepit. Indulgentiarum in annum usque vigesimum à Pontifice concessarum, mercaturam, publico diplomate templorum valvis affixo & de suggestu à concionatoribus recitato, promovit. Pecunia hæc primo decennio collecta Ponti Torgano supra Albim sternendo; altera verò Basilicæ D. Petri Romæ, in suo vigore conservandæ, consecrata erat. Qui igitur singulis annis pendebant unicum grossum, illis butyro, lacte & carnibus, diebus vetitis, vescendi venia impertiebatur. λ) Anno 1493. in Palæstinam profectus, testamento post se relicto, si quid humanitas ipsi contingeret in itinere, Johanni fratri bona sua legavit studiosisque ac pauperibus munificè prospexit. Certam quippe summam pecuniæ elocaverat, de cujus usuris sex, Thuringiâ, Franconiâ & Misnia Electorali, natis, literarum studiosis, quorum de paupertate constaret, per septem annos in Academiis, Lipsiensi & Erfurdiana, aut si quæ alia fuisset constituta, singulis in singulos annos triginta quinque aurei destinabantur. Ex his verò tres Theologiæ, duo Jurisprudentiæ, & unus causis physicis jubebatur operam dare. Ad Fridericum III Imperatorem Lincium divertens ex itinere, feudum Electoratus cum insignibus impetravit, aureoque donatus torque dimissus est. Hierosolymis Sultanum convenit, qui ex vultûs gravitate ipsum non inferiori loco natum esse cognoscebat. Ex Palæstina, Cypro, Rhodo, Corcyra & Venetiis, plurimas picturas illustrandæque Historiæ multum profutura monumenta & remedia nova, (erat enim gnarus artis Medicæ) secum redux attulit. In Rhodo  
insula



insula, à vino Cretensi balneum ingressus, à Martino Pollichio Möllerstadio, Archiatro, vix è presentissimo mortis periculo ereptus est; dum Christophorus Bavariæ dux, comes itineris, subitâ nece extingveretur 3). Cæterum Maximiliano, penes quem multum poterat consilio & autoritate, autor fuit in comitiis Wormatiensibus anno 1495, ut senatum Imperii confirmaret, & constitutionem ederet, quâ belli jus primùm cum ordinibus communicatum est. Ipse privilegium creandi nobiles ab eodem Imperatore accepit. 4) Academiam Wittebergensem, anno C. N. 1500. die D. Lucæ sacro inchoatam, solenni more, præterlapso biennio, introduxit: ubi cum verba faceret ad auditores, Fleccus Monachus, prophetico quasi perfusus spiritu, in hæc inter alia erupit verba: *Ab hoc albo monte petet totus mundus sapientiam.* A bellis & ipse & subditi ejus, dum viveret Fridericus, quietem habuerunt. Philippum Palatinum, ob latas filio Ruperto, de hæreditate Georgii Ducis Bavariæ, cum Alberto cognato ejus decertante, suppeticas, excommunicatum, Maximiliano Imperatori an. 1505, reconciliavit 5). Wormatienses Canonicos per decennium exules, opera Trevirensis 1512. restituit. In comitiis Trevirensibus eodem anno Maximiliano Imperatori svasit, ut consultationes haberet, *de negociis imperii publicis determinandis, maxime verò de pace publica conservanda, de auxiliis Imperatori, communi subditorum contributione, præstandis: de Schismate Cardinalium non tolerando: de proscriptione Edezardi, comitis Embdani, Imperatoris mandato non parentis: de Gröninga, Frisia metropoli, Georgio duci Saxonie restituenda & de gravissimo ebrietatis vitio tollendo: adversus quod literæ prohibitorie exierunt.* 6) Anno 1513. Augustæ Vindelicorum, Ottonis III Imperatoris sepulchrum in augustiorem formam redigi curavit. Anno 1517. Saluberrima religionis orthodoxæ restauratio, Luthero autore, cœpta est. Indulgentiarum abusus in immensum creverat, adeo, ut Albertus Archiepiscopus Moguntinus, ex illustrissima Brandenburgicorum stirpe oriundus, ultimi decennii nundinationem conduxerit, quo pecuniam corraderet, quâ pallium, in curia Romana posset redimere. Hinc mercaturæ præfectus Tezelius, Monachus Dominicanus, Pirnâ Misnicus, eò audaciæ

E

pro-

processerat, ut populo simplici persuadere non veritus sit: *Repente ad tinnitum æris, in pelvim coniecti, defunctorum animas ab inferis extractas in cælum subvolare remissionemque, cum de commissis, tam de committendis adhuc, impetrari.* Quare à nobili quodam deceptus est, qui, impetratâ committendorum veniâ, per sylvam trans-  
euntem adortus, pecuniam ipsi omnem eripuit. Opposuit se vero Tezelio Martinus Lutherus, Prof. Witteberg. parentibus Johanne Luthero, metallifossore, & Margaretha Lindemanna natus Erfurdiaque liberalibus artibus ac Theologia imbutus. Is anno 1517 Theses suas de indulgentiis, in vigilia omnium san-  
ctorum, ad templi arcis Wittebergicæ valvas affixit, magnoque applausu neque minori tamen etiam modestia defendit. Hoc Lutheri factum variæ, variorum, sententiæ excepêrunt. Cran-  
zsius perlectis Lutheri propositionibus dixit: *O frater Lutere, abi in cellulam tuam & dic: miserere mei DEUS.* Monachus vero quidam Ritterfeldi, in Saxoniâ, exclamavit. *Ha, ha, venit jam is, qui nos rectè tractabit.* Lutherus ad Albertum Moguntinum Antistitem (in cujus oppido Jütterbock, in maxima hominum frequentiâ prædicatæ fuerant indulgentiæ & unde theses suas conscribendi occasionem nactus fuerat) literas dedit, quibus factum suum submississimis verbis significavit eumque, ut hos tollere vellet abusus, precatus est. Tezelius vero theses, Luthe-  
ranis contrarias, à Conrado Wimpina, Theologiæ Scholasticæ, Francofurti ad Viadrum, Professore, exaratas suo nomine edi-  
dit; quas Lutherus confutavit. Denique Leoni X. Pontifici scriptorum suorum prolixam explicationem transmisit calu-  
mniaeque adversariorum refutavit. Nihilominus ad dicendam pro se causam Romam vocatus, Friderici Electoris intercessione, impetravit, ut saltem Cajetano nuntio Apostolico, Augustæ Vindelicorum, se sisteret. Cajetanus, cum minus persuadere posset viro, ut tres tantum syllabas *revoco* pronuntiaret, literis Electorem monuit, ut Romam mittat Lutherum, aut ditioni-  
bus expellat suis; quod tamen, ipsô nondum erroris sui, ex verbo DEI, convictô, facere renuit. n) Cæterum Maximiliano Imperatori Consilia sæpe dedit Fridericus: ingravescente et-  
iam sejus ætate, Locum tenentis Imperii (Römischer Kö-  
niglicher

niglicher Majestät und dessen Reichs Stadthalter General) titulo  
usus est  $\kappa$ ) Maximiliano vita An. 1519. functo, Vicarium Impe-  
rii egit, unde factum, ut tumultus contra Lutherum excitati  
paulatim desavirent. Delatam sibi Francofurti ad Mœni m.  
Imperii dignitatem, prætendens valetudinem non adeo firmam  
reculavit, & ut Carolus V. eligeretur, autor fuit. Munera à  
Caroli V. legatis oblata renuit, & ne famulis suis, se inscio, ali-  
quid porrigeretur, cavet  $\lambda$ ). Pontifex per Carolum Miltizium  
Equitem Misnicum favoris gratia Rosam auream ei trans-  
misit, literisque Degenartum Pfeffinegrum, consiliarium  
Friderici, hortatus est, ut cum Electore acturum Miltizium ju-  
varet, quo Lutherus, Satanæ filius, coereretur. Miltizius, post-  
quam Altenburgicum cum Luthero collocutus esset, objurgatum  
Tezelium moderatius suum negotium tractare jussit, Luthero  
dicens: *O Martine, ego credebam, te senem aliquem esse Theologum,  
qui post fornacem sedens ita secum disputasset; nunc video, te adhuc  
esse integrum & validum. Si haberem viginti quinque armatorum  
millia, non considerem te posse à me Romam perducere. Exploravi enim  
per totum iter animos hominum quid de te sentirent. Ecce ubi unum  
pro Papa stare vidi, tres contra Papam pro te stabant.*  $\mu$ ) Teze-  
lium, morbo subito correptum, consolatus est Lutherus; ast il-  
le conscientiae stimulis agitatus, nullo admissio solatio, animam  
exhalavit. Eodem anno, Phil Melanchthon & Lutherus Carolo-  
stadum, cum Eccio disputaturum, Lipsiam comitati sunt; ubi  
præsentibus Georgio Saxoniae & Georgio Anhaltino Principi-  
bus, cum eodem, provocatus Lutherus in certamen descendit:  
Eccius anno 1520. disputatione Romam perlata, Bullam à Pon-  
tifice procuravit, quâ Lutherus excommunicatus & Fridericus  
Electo monitus est, ut, nisi intra sexaginta dies errores suos  
Lutherus revocaret, aut ditione pelleret aut supplicio afficeret  
aut vincitum Romam mitteret. Negavit hoc Fridericus cumq;  
Laurentius à Bibra Episcopus Herbipolitanus & Erasmus,  
quem Lovanio Coloniam, ubi, Aquisgranum ad coronationem  
Caroli V. iturus, morbo interceptus fuerat, evocaverat, alique  
Lutherum ipsi commendarent, tandem respondit Papicolæ  
cuidam, ne Papæ inimicitiam sibi contraheret, scribenti; *St*

E 2

Pons

Pontifex Deus est, ut affecta ejus statuunt, minus ipsum timemus; quia doctrinam ejus, modis omnibus, promovere nitimur; Si homo est, satis virium nobis largitus est Deus, quibus nos ab ipso defendere queamus: si vero diabolus est, flocci pendimus ejus inimicitiam. Quod si enim certare nobiscum ipsi placuerit, Christum habemus ad latera nostram pugnantem. Atque sic multum erimus victores, quia & vivendo & moriendo gloriam Dei celebrabimus. v) Lutherus decretum Pontificis, postquam sua scripta Romæ cremata intellexisset, Wittembergæ combussit, comitiaque Wormatiensia, impetratis, procurante Friderico Electore, salvi conductus literis, eo animo petiit, ut etiam, Hussi exemplo adducto, iter hoc ipsi dissuadentibus, responderit: *Quod sit tot, quot tegula in rectis, Wormatiæ diaboli essent, tamen vellem eò proficisci.* Wormatiæ verba pro se fecit optimè coram Cæsare cumque à Trevirensi & Joachimo Brandenburgico Electore, ut doctrinam suam revocaret, minus permoveri posset, impetratâ abeundi licentiâ, confestim discessit. &) Proscriptum mox à Carolo V. Imp. & per Gothanum agrum iter facientem Fridericus, per nobiles quosdam personatos, interceptus & Warttembergicæ arci inclusus, quâ solitudinem postmodum Pathmum suam nominavit Lutherus. Dicitur, Pontificios, ne per Magos quidem, potuisse cognoscere, ubinam Lutherus lateret. o) Cum verò Carolo stadium Wittembergæ, nova dogmata proponendo & imagines templis ejiciendo, religionem turbaret, post decem menses Lutherus Wittembergam, malo huic occursurus, rediit literisque, ad Fridericum datis, quod ipso inscio custodiam reliquisset, veniam petiit π). An. 1524. Adrianus VI. Pontifex Fridericum, ut tueretur Ecclesiæ Romanæ dignitatem, & An 1524. è Norimbergensibus comitiis in patriam reducem, ut consilium ipsi de restituendo pristino Ecclesiæ statu daret, contendit. Eodem anno Erasmi libello de Libero Arbitrio, Regis Angliæ Henrici VIII & Cardinalis Eboracensis instinctu, conscripto, alium, de servo arbitrio, Lutherus opposuit ρ). Anno 1525. cælebs d. 5. Maji FRIDERICUS SAPIENS extinctus magnum sui desiderium cunctis reliquit. Ex Apophthegmatibus ejus quædam adducemus. Scickero Consiliario inter conferendum aliquando dicenti, scriptum esse in  
se in

se in Psalmographo; nolite considerare in principibus; facete, respondit; autorem eodem loco statim addere; neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Talis est tute es, mi Præposite. Opimam enim præbendam Præposituræ Wittembergensis eidem Doctori largitus erat. Sæpius dixit: nolle se munitissimam aliquam extruere arcem, in qua quædam præsidii spes esset, neque etiam multas congerere divitias. Qui enim niterentur præsidio talium & à pecunia insuper instructi essent, eos statim, si à vicinis levi modo afficerentur injuriâ, solere in iis, mox ad arma conclamantes, considerare, cum tamen eadem, quamvis munitissima, una cum divitiis vix ad initia bellorum suscipiendorum, nedum continuandorum, sufficerent. Ad comitia rarò amplius quam triginta equis & exiguo comitatu ivit, contendens; crescente comitatu è numero, optima in deliberationibus impediri & necessariæ negligi consilia. Exortâ, per ditiones ejus, magna annonæ caritate, ingentem frumenti vim è granariis suis, vili pretio, suis vendidit; partim quoque mutuo dedit usque ad alteram messem. Triduo ante mortem, nuntiatô rusticorum tumultu, Johannem fratrem consolatus & hortatus est, ut, paucis castigatis, multitudini parceret. Symbolis utebatur Theologico: Verbum Domini manet in æternum; altero Politico: Tantum quantum possum. &) Autoritate penes Carolum V. tantum valuit, ut, si supervixisset, bellum illud in Saxones non susceptum fuisset; prudentioris colligerent. Laudibus hujus Electoris, ævi illius scriptorum, libri referti sunt. Aventinus, cum Anno 1514 de quibusdam in Germaniæ historia eruendis consulere- tur à Friderico, Carmine Sapphico respondit, cujus inter alia sunt:

Principem nullum similem sub orbe  
 Esse Romano videas, recondit  
 Nobiles, magno pretio coemptos,  
 undique libros  
 Ordinât longâ serie parentes,  
 Quin & Heroas prius obsoletos  
 Eripit stagnis, Acherontis atris,  
 donat & avo.

E 3

Literæ



Literæ inscriptæ erant: Totius Europæ Principi, omnium gra-  
vissimo, Reipublicæ rerumque Germanicarum assertori, litera-  
rum parenti, Musarum Patrono optimo, Johannes Aventinus,  
Clienſ devotissimus posuit Angilostadii, Saturnalibus Anno C.  
Dn. Deiq; nostri 1517. r)

a) Fabric. in O. S. in vita ejus ß) Fabr. l. c. Philippus in locis Man-  
lianis. Peucerus p. 44 45. de Divinat. γ) Seckendorff. in Luthe-  
ranism. sub hoc anno. conf. Fabr. l. c. δ) Fabr. l. c. ubi & testa-  
mentum ejus recitat. e) v. Schurzfl. Dissert. de Friderico  
III. sapiente ζ) Seckendorff. l. c. θ) Reusner. in Stemmate Witt-  
kind. p. 43. Fabr. l. c. η) Fabr. l. c. i) Seckendorff. l. c. conf. Sleid-  
dan. de Statu religionis Lib. I. Fabr. l. c. κ) Schurzfl. cit. Dis-  
sert. λ) v. Erasmi. L. XIII. Epist. 4. μ) Seckendorff. l. c. ν) id.  
l. c. conf. Peifer. in Lipsia ο) Sleidan. l. c. L. I. à p. 33 ad 37. π)  
Sleid. de quatuor summis Imp. sub hoc tempore. ϖ) Sleid. de St.  
R. p. 42. b. Seckendorff. l. c. ϗ) cit. autores. Ϙ) Fabr. l. c. ϙ)  
Seckendorff l. c.

§. 5. FRIDERICO successit JOHANNES frater, omni  
virtutum genere a pueritiâ clarus. Tirocina hic militiæ depo-  
suit, sub Friderico III Imperatore & filio ejus Maximiliano, in  
expeditionibus Italicis. Albæ regalis, in Hungaria, obsessæ,  
muros primus omnium anno 1490 conscendit. Cum anno 1513,  
secundas cum Margaretha Waldemari Principis Anhaltini filia  
nuptias celebraturus, Torgam ingrederetur, pueri lanceolas ge-  
stantes, equis alligati, gravissimo tum frigore sæviente, extincti  
sunt a). Sub prima statim regiminis initia, rusticæ gentis tumul-  
tus universam ferè Saxoniam turbabant. In Saxonia autor  
erat seditionis Thomas Münzerus, concionator Alstedensis,  
qui, quod plebem contra principem excitabat, munere exutus  
Norimbergam ac tandem Molhusam venit, ubi, fautorum ope-  
ra, docendi munus obtinuit. Postquam plebem Franconicam  
& Svevicam in armis esse cognovisset, conflatis in æde Franci-  
scanorum multis machinis bellicis, magnam ex agris multitu-  
dinem, somniorum figmento, contraxit, & propè Frankenhu-  
sam in valle confedit. His obviam facti Johannes Elector &  
Philippus Hæssæ Landgravius, missis internunciis, officii qui-  
dem



dem ipsos admonuerunt; ast illi barbaro more, contra omne jus gentium, legatum obtruncarunt. Et quamvis postmodum, facti pœnitentia ducti, per Casparum Ruxlebiū & Wolffgangum Stolbergensem Comitem, vinculis dimissos, scelus deprecarentur, non audit tamen sunt. Münzerus arcum cœlestem, casu tūm apparentem, certum victoriæ signum prædicans, pilas prætereatorum, veste sua, se excepturum omnes, pollicitus, ad pugnam animavit rusticos. Profligati autem suorumque fere quinque millibus amissis, in partes dilapsi sunt. Münzerus Francohusæ in superiore ædium parte morbum simulans latuit. Inventus vero ibi à Luneburgensis Nobilis famulo qui marsupium, ære plenum, ipsi nitebatur auferre. Postquam igitur ideo pugnam cum ipso iniisset Münzerus, nobilis accurrens, de re gesta certior factus, marsupium apprehendit, in quo literas reperit, à Mansfeldio ad Münzerum scriptas, quibus à proposito ipsum dehortabatur. Ita igitur proditus & ad Saxoniz Ducem Georgium Hassiaque Landgravium ductus, de sceleris & datæ calamitatis causa interrogatus, cum cachinno respondit: *hoc voluerunt*. Principes Molhusam, sociam fœderis, progressi, cives supplices factos in gratiam receperunt. Pfeifferus Münzeri collega, in agro Isenacensi, à Wolfgango Endio, qui ipsum Mülhusa fugientem insequi iussus fuerat, captus. Molhusenses muris ac libertate privarunt principes, solis Juribus, quibus Imperio obligabantur, relictis Heldrungam, itidem ream, alternis vicibus Saxo & Hassus possederunt. Münzerus gladio percussus est, qui moribundus errorem palam professus, Principes quoque, ut majori in posterum clementia in miseros uterentur homines, librosque regum diligenter evolverent, hortatus est. Ita fore, ut sic se gerentibus nullum sit extimescendum ejusmodi periculum. β) Eodem anno (1525.) visitationem Ecclesiarum per ditiones suas instituit; articulos conscripsit Philippus Melanchthon. Gothanis & Isenacensibus parochis certos designari redditus curavit. Dicto Jesaiæ c. 49 v. 23 quô in literis supplicibus, magistratus in suo munere confirmari, dixerant parochi, admodum delectatus est γ). Anno 1526. comitiis Spirensibus interfuit, in quibus decretum promulgavit Ferdinandus Rex,

Rex, quô jubebantur omnes ita se gerere, ut Deo & Imperatori Carolo rationem sui facti possent reddere. Anno 1528. Otto Paëtius, Georgii, Ducis Saxonix, Consiliarius, literis Hassiæ Landgravio significavit, fœdus contra Evangelicos à Pontificiis conflatum esse, tabulas quoque fœderis archetypas pollicitus. Hinc arma sumserunt Johannes Saxo & Philippus Hassus; ast cum Paëtius promissis stare nequiret, belli metus brevi evanuit d). An. 1529. duxit secum ad comitia Spirensia Philippum Melanchthonem Elector, ut de religione colloquium haberet cum Pontificiis, qui unicè id agebant, ut à civitatibus fœderatis Electorem dirimerent, maximè cum non eadem omnibus esset doctrina. Ibidem contra Decretum, de non abroganda Missa, & aliis Ceremoniis Pontificiis, cum Georgio Brandenburgico Marchione, Ernesto & Francisco Ducibus Luneburgicis, Philippo Hassiæ Landgravio, Ernesto Anhaltino, multisq; civitatibus Imperialibus protestatus est: unde nominis Protestantium origo. Denique cum ad Imperatorem & Concilium Generale provocassent, legatos ad Carolum miserunt in Italiam, qui Decretum deprecarentur. Ast hi non saltem frustra omnia fecerunt, sed pro captivis quasi etiam habiti sunt e); dum interim Johannes Elector Viennæ, à Solymano obsessæ, suppetias mitteret. Cum verò legatos à Carolo V. detineri nuntiatum esset, convenit cum supra dictis principibus civitatumque legatis Mülhusæ: quia autem Argentoratenses & Ulmenses in quædam religionis capita volebant consentire, alius Norimbergæ ad 6. Januarii anni 1530. indictus est conventus. Ibi, quid proponendum sit Carolo V. ex Italia reduci, actum. Ipse Elector Theologis, Luthero, Melanchthoni, Bugenhagio & Justo Jonæ, Torgam vocatis, ut certam confessionis formulam consignarent, præcepit ζ). Hinc XVII. Lutherus articulos conscripsit, ex quibus Melanchthon, neque ordine, neque sensu, neque phrasibus quoque Lutheri mutatis, Augustanam Confessionem concinavit η). Hanc Electori exhibentes, cum de singulis vocibus rationem se reddere ex Scriptura S. paratos esse contendissent; ipse operam ipsis suam & societatem constantem pollicitus est. Audita deinde supra Marthæi



c.X. v. 32. 9) concione, primus omnium Augustam, cum Johanne Friderico filio & Theologis Melanchthone, Johanne Agricola, Islebio, Justo Jonâ & Georgio Spalatino, accessit. Secundo adventus Caroli die, sacris, missificante Moguntino, Protestantes, licet jussi, haud interfuerunt. Die verò 20. Junii Johannes Saxo, Carolo ad Missam ituro, quod non ad Missam sed ad officium suum evocatum eum esse Theologi dicebant, gladium de more prætulit. E templo itum est in Palatium, ubi Confessio, cui subscripserant Protestantes, per D. Pontanum Electoris Saxoniz Cancellarium oblata fuit Alexandro Schweis, Imperatoris Secretario, ut Moguntino, Imperii Archicancellario, illam traderet. Ipse autem Imperator latinum exemplar recepit. Die 25. Junii ibidem in Imperatoris ac ordinum confessu, à dictò Pontano, tam clara voce recitata est, ut in area Palatii posset exaudiri. Protestantes stantes perorantem Pontanum auscultavêre: Et Alphonsus Cancellarius Caroli, famam de Protestantibus cum hâc minus convenire fidei confessione, Melanchthoni confessus est. Carolus Confessionem, è Consilio Granvellani Cardinalis, Fabro & Eccio refutandam, dedit 1). Interim cum aliquid clanculum machinaretur in Protestantes Cæsar, animadvertens illud Landgravius Hassiz clam Augustâ discedere. Stationes quippe, ad portas disponendæ, suspicionem ipsi pepererant. Johannes Elector Saxoniz Landgravii discessum penes Imperatorem, qui ideo illi indignabatur, conjugis ægritudinem interserens, excusavit simulque protestatus est, quod, novo ac inaudito antea in comitiis liberis more, portas milite obstruxisset. Ad impediendos, inter tot nationes, tumultus, id factum esse respondentem, iterum regressit; *Se ne quid in hoc passu detrimenti enasceretur, provisurum, neque ulla in parte officio suo defuturum esse.* Cum igitur fraus hæc eluderetur, remotus à stationibus miles est 2). Fridericus deinde Palatinus, Nassovius & Georgius Truceffius &c. Johannem adierunt, qui nomine Imperatoris nunciabant, ditionis suæ inaugurationem, pro Imperii more, petenti pactorum & dotalitorum, de successione inter Johannem Fridericum filium ejus & Ducem Juliacensem, cujus filiam Sybillam ille in matri-

F

mo-

monium duxerat, initorum confirmationem denegatum ini-  
nificum Rom. Ecclesia in gratiam rediret. Respondit Elector:  
*Se submissè precari, quæ petierit & æqua judicarent, benigne sibi conce-  
di, ea facturum se omnia, quæ à fidelibus requiri Vasallis debeant ac  
possint: In causa verò religionis sibi non esse integrum, nec velle se suam  
mutare sententiam, aut quidquam contra conscientiam perpetrare.*  
*Deo enim excelsò plus tribuendum, quam hominibus, ac salutarè Ev-  
angelii doctrinam omnibus thesauris & rebus humanis antefendam*  
A). Confectâ sex mensium spatio Augustanæ Confessionis re-  
futatione, ampla autores præmia, & in his, Faber Episcopatum  
Viennensem obtinuit, unde natum est proverbium: *Pauperem  
ac tenuem Lutherum locupletare multos.* Cùm verò Pontificii  
Protestantium doctrinam recipere nollent, neque hi eam pos-  
sent deserere, decretum exiit; quò Protestantium causa impro-  
babatur, ipsique adjuncta pœnæ comminatione ad Romanam  
Ecclesiam reverti jubebantur u). Quo factò Lutherus suos  
consolatus, editoque libello, cui titulus, *Warnung an seme liebe  
Teutschen*, ad constantiam eos hortatus est. Johannes Elector  
literis Protestantes ad diem 22. Dec. Smalcaldiam convocavit,  
ubi de religione ac libertate defendenda actum, fœderisq; for-  
mula concepta est v). A Moguntino, ad electionem Ferdinan-  
di in Romanum Regem, evocatus, per filium Johannem Frideri-  
cum eidem, utpote legi Carolinæ minus convenienti, contradi-  
xit. Hinc iram Cæsaris haud levem sibi peperit z). Cæterum  
pietatis laude nulli principum inferior fuit. Conciones sacras  
non frequentavit solum, sed & calamo excepit, quas cum cate-  
chismo in membraria ab ipso descripto, Bibliotheca Ducalis as-  
servare perhibetur. Mingwizium nobilem, Theologis nuntia-  
re jussit, *veritatem divinam intrepidè profiterentur, gloriamque Dei  
modis omnibus promoverent.* In Deo tantum collocavit fiducia,  
ut omnia consilia adversus Numen, irrita fore judicaret &, *bo-  
nam tandem causam triumphaturam*, sæpius diceret. Theologos  
omni complexus favore, Lutherum, Smalcaldia decum-  
bentem, visitare haud dedignatus est, pollicitus in super ipsi, se,  
si fatis ipsum concedere Numini placuisset, conjugis libero-  
rumque ejus parentem fore. Symboli loco utebatur verbis:

*Verbum*

*Verbum Domini manet in aeternum; quorum literas initiales ma-  
nicis ministrorum infigi curavit. His cum Pontificii Augustæ  
illuderent, signaque ita interpretarentur: Verbum diaboli manet  
in eis, per retorsionem responderunt; Verbum Diaboli manet in  
Episcopis o). Anno 1532. die 30. Aug. Sweiniziæ lethali morbo,  
omnibus liberis & consanguineis absentibus, extinctus est Qua-  
re Lutherus, qui cum Melanchthone eo vocatus animam jam-  
tùm agentem invenerat, adstantibus dixit: dolendum tam illu-  
strissimum & sanctissimum principem diem suum ita solitariū obisse, ut  
nullus neque filiorum, neque propinquorum, neque consanguineorum,  
neque familiarium ipsi ex hac arumnosa vita in meliorem & æternam  
hinc discessuro affuerit. In matrimonio habuit*

I.) SOPHIAM Magni Ducis Megapolitani filiam, quam duxit  
1500. die 3. Mart. & quæ, dum pareret, extincta, anno 1505.  
d. 12. Julii, Mater Johannis Friderici, de quo seqv. §

II.) MARGARETHAM Waldemari Principis Anhaltini fili-  
am, cum qua anno 1513. d. 13. Nov. nuptias celebravit. Ex-  
tincta 1521. d. 9. Octob. Eâ nati liberi

1) MARIA, Anno 1515. d. 6. Dec. Philippi Ducis Pomeraniæ  
conjux. m. 1587.

2) MARGARETHA 1518. innupta m. 1537.

3) JOHANNES 1513. m. 1519.

4) JOHANNES ERNESTUS, 1521. d. 10. Maji, qui 1542.  
Franconiam Saxoniam nactus, Coburgi sedem con-  
stituit Cum Catharina, Philippi Ducis Brunswicensis &  
Grubenhagii filia, sterile matrimonium egit. m. 1553.  
d. 8. Febr. π).

a) Fabr. L. VIII. O. S. in vita ejus. b) Sleidan. L. V. de St. R. Gold-  
ast. in Hist. Belli Rusticani. Fab. l. c. γ) Fab. l. c. δ) Sleidan.  
L. VI. Straueb. Dissert. exot. 9. Moser. in histor. Caroli V. &  
Ferdinandi I. L. IV. 9) Sleid. L. VI. conf Hortled. de caus.  
belli German. Tom. I. L. I. c. 6. 7. ζ) Sleid. l. c. Hortled. l. c.  
c. 8. η) Hist. A. S. Formula Concord. præfixa. θ) Sylv. Rundt-  
mann in vit. Johannis. ι) Sleidan. L. VII sub hoc anno. Fab.  
l. c. κ) Varillós Histoire del' Heresie l. 8. λ) Sleid. l. c. p. 112.

*Fabr. l. c. u) Sleid. l. c. p. 118. v) Sleid. Lib. cit. ζ) Sleidan. l. c. sub fin. conf. Strauch. Dissert. exot. 10. thes. 7. θ) Fabric. l. c. Sundtmann in vita ejus. π) Fab. l. c.*

§. 6. JOHANNES FRIDERICUS n. Torgaviæ 1503. d. 30. Jun. crucem auream in dorso fulgentem, futuræ forsan calamitatis præfagium, ex utero materno protulit. Ob magnum in adversis animum *MAGNANIMI* cognomen commeruit; adversariis verò, à corporis oblitate, *CRASSUS* audit. α) Quod Augustæ confessionis exhibitioni interfuerit, & , nomine parentis, contra Ferdinandi Regis electionem Coloniae protesta- tus sit, supra dictum. Parente morbo decumbente, instituta inter Carolum V. & Protestantes Sweinfurti & Norimbergæ, ab Alberto Moguntino & Ludovico Palatino, pacificatione, ad- fuit. Permissum ea est *liberum religionis exercitium usque ad con- ciliium generale aut ulteriorem statuum consultationem. Omnes con- tra Evangelicos instituti processus judiciales abrogati & suspensi sunt; cautum quoque, nequis alterum bello aut aliis injuriis interim laceffe- ret: fœdera contra Carolum & Ferdinandum inita quisque vitaret; auxilia adversus Turcas suppeditaret: Casari ac Romanorum Regi pa- reret β)*. Ultima verba in primis Johannes Fridericus aboleri contendebat, donec, examinata juxta Legem Carolinam, Ferdinandi electione, controversia transigeretur. Has pacis conditiones Ratisbonæ d. 23. Jul. in Comitibus, publico edicto, Carolus V. Imperator confirmavit δ). Elector post parentis obitum factus, Legatum Pontificium, Hugonem Rangonem, Episcopum Reginum, Vinariæ excepit. Intellectâ Pontificis de Concilio generali sententiâ, primum solus, denique ex reli- quorum Protestantium mente per literas respondit ε). Anno 1534. Georgio Saxonie Duce mediatore, Cadani in Bohemia in- ter Ferdinandum & Johannem Fridericum hisce conditionibus facta legitur reconciliatio: *Ferdinandus efficiat loco Cesaris, ut Ca- meree judicium ab omni supersedeat actione contra Protestantes, in qui- bus tamen nec Anabaptistæ, nec Sacramentarii, neque id genus aliæ sectæ sint comprehensæ: Saxonie princeps & socii Ferdinandum agnoscant pro Romanorum rege, titulumque tribuant: Ferdinandus invicem hoc apud Casarem & reliquos Electores efficiat intra certum tempus, ut de- cretum ejusmodi fiat. Cum tempus olim incidat creandi Romanorum Regis*

Regis vivo Casare, ut tunc principes Electores antea conveniant & deli-  
berent, num juste sint & idonea causa, & si appareat, tum demum ex  
formula legis Carolinae pergant: quod secus factum fuerit irritum sit:  
hoc verò decretum nisi fiat intra decimum mensem, Saxo sociique non  
teneantur pacto: successionem quoque Saxonis in bonis paternis & a-  
vitis intra tempus illud Casar confirmet: Ferdinandus etiam det ope-  
ram, ut, quae Saxoni sunt cum principe Cliver si pacta matrimonii, Ca-  
sar approbet §). Cum verò Camerales Protestantibus, ab Eccle-  
siasticis statibus accusatis, negotium facefferent, edicto Casaris,  
quo lis omnis & actio è religione nata suspendebatur, contra-  
rium, delatique apud Imperatorem juberentur cognoscere, u-  
trum ad religionem vel an aliò pertinerent causa, ideoque non  
solum in mixtis, verum etiam in religiosis causis audacter per-  
gerent, ablataque Ecclesiasticis bona Missam & cultum Pontifi-  
cium restituere juberent, Johannes Fridericus, Cadanensi  
quoque decreto non observato, Viennam 1535. ad Ferdinandum  
profectus est, à quo novum denuò mandatum impetravit. Red-  
euntem inde Vergerius Pontificis Legatus Pragæ interpellavit,  
Mantuae Concilium universale indictum significans; cui per-  
literas deinceps è communi sententia, quale concilium Prote-  
stantes desiderarent, exposuit ¶). Eodem tempore foedus  
Smalcaldicum in decem annos renovatum est §). In con-  
ventu Confluentiae habito, Rhenanis, ad mittenda Epi-  
scopo Monasteriensi contra Anabaptistas auxilia, ordinibus  
Electores se conjunxit. Anno 1536. habita Francofurti mense  
Aprili de recipiendo in foedus Angliæ rege, si in religione con-  
veniri posset, deliberatione, Legatis eò missis, Melanchthonem  
è Theologis adjunxit suis ¶). Eodem tempore cum Georgio  
patruele, qui Ecclesiasticis Lutheranis redditus, quos ex suis a-  
gris capiebant, negabat, similtatem habuit. Licet igitur con-  
tumeliose Georgius, pacti admonitus, respondisset, Elector que  
necessariis, si vis forte ingrueret, sibi prospexisset auxiliis. nil  
tamen amplius auditum est ¶). Anno 1537. d. 15. Febr. Smalcal-  
diae interfuit conventui, in quo Helder Imperatoris Legato  
pacem, concilium Mantuanum, & subsidia contra Turcas Fer-  
dinando mittenda suadenti responsum; gratum se Casaris agno-

scere favorem: Concilium Mantuæ institutum, propter insi-  
dias recusare: auxilia adversus Turcam, si Germaniæ immine-  
ret finibus, non denegare. Ad literas Pontificis, concilium di-  
cto loco offerentes, quas Aquensis Episcopus legatus Saxoni at-  
tulerat, eadem regeffit. Quod si tamen concilium aliquod le-  
gitimum futurū esset, Articulos Smalcald. de controversis Chri-  
stianæ doctrinæ capitibus, qui in illo exhiberi possent, à Luthe-  
ro consignari curarunt fœderati λ). A. 1537. Gornern à prioribus  
Electoibus civitati Magdeburg. oppignoratū redemit Joh. Fri-  
dericus, Burggraviatumq; Magdeburgens. restauravit μ). Con-  
troversiam cum Alberto Antistite de Salinis & urbe, cum inter  
Deputatos Zervestæ non conveniri posset, ad Imperatorem re-  
misit ν). Defuncto Henrico Saxonix Duce liberorum ejus in se  
suscepit tutelam. Anno 1540. ad comitia Spirensia compo-  
nendæ religionis ergo instituta Legatos misit. Habito Ratis-  
bonæ an. 1541. eadem de causa colloquio itidem suos interesse  
voluit. Julium Pflugium in defuncti præsulis Numburgani lo-  
cum à collegio electum deposuit. Substituto eidem Amstofi-  
fio Theologo Wittenbergense, cum apud principes Imperii scri-  
pto publico Pflugius conquereretur, causam suam depromptis  
ex vetustate aliquot argumentis defendit ξ). Cum Mauricio  
de Wurzena, in qua uterque sibi jus colligendi ad bellum Tur-  
cicum continuandum tributi vendicabat, litem habuit. Ne ad  
arma veniretur Landgravio Hassiæ & Luthero intercedentibus  
factum est ο). Anno 1542. Henricum Brunswicensem (cujus  
Secretarium superiori anno, dum pro Brandenburgici Electoris  
ministro se gereret, Landgravius interceperat, & e literis Henri-  
ci ad Moguntinum, penes ipsam inventis, invectivas in se co-  
gnoverat) Goslariensibus & Bremensibus, rapinis molestum,  
capto Gvclverbyto, ditione, Hasso junctus, expulit ϖ). Accu-  
sari apud Cameram Imper. adversariæ religionis iudices recusa-  
runt; quin imò in comitiis Spirensibus An. 1544. de Brunswi-  
cense, coram Imperatore, conquesti sunt. Ibidem, cum Joh.  
Fridericus Ferdinandum pro Rege Romanorum agnosceret  
debitamque observantiam polliceretur, Imperator pactionem  
dotalem cum Clivensi, quod antehac recusaverat, ipsi confir-  
mavit,

mavit, & , si Clivensem mori contingeret absque liberis masculis, ut ei Saxo sororius & mares liberi omnino succederent, ea tamen condicione, si quidem ante hunc casum de religione conveniret, permisit. Ferdinandus quoque approbante Carolo filiam suam Eleonoram Electoris filio nato maximo desponsavit, si conciliatio religionis fiat, antequam illa matura sit viro. Hoc vero posterius tanto tegebatur silentio, ut ne Landgravius quidem & reliqui socii quicquam de eo resciverint e). An. 1544. Brunswicensem, qui Casaris beneficio Ducatum recuperaverat, denuo Bremensibus gravem eo compulit cum Landgravio, ut se simul filio dederet. An. 1546. post comitia Augustæ habita, Lutherus die 18. Febr. Islebiæ vita functus & Wittebergam translatus honorificè sepultus est. Cognitum quoque hac tempestate Caroli, de inferendo Protestantibus bello, consilium. Gallico enim Legato magnum esse quod moliretur, dicenti respondisse dicebatur, frequentibus, adversus Gallos & Turcas, suppetiisita exhaustas Germaniæ Principum vires, ut de illis domandis haud desperet e). Cum igitur neque privato neque publico scripto dehortari à proposito possent Carolum, & ipsi arma sumere, Eresburgum, Fiessam, Dillingam & Donawerdam occupantes. Imperator, proscriptis Electore & Landgravio, Mauricio Saxonum duci negotium dedit, ut conditiones Electoris occuparet; nisi hoc faceret, occupantis omnia fore minatus. Auditis hisce, Elector & Landgravius bellum Carolo suo & confederatorum nomine denuntiarunt. Imperator Ingolstadium profectus, in castris militem præstolabatur Belgicum; quæ cum saltem humili fossa essent munita, Landgravius autor fuit, ut impetum in ea facerent, antequam Burenensis ex Belgio copias adduceret. Minus vero, exorta jam sub initium belli inter ipsum & Electorem discordiâ, auditus est. Hinc optima de bellandi Imperatorem occasio amissa est. Sequenti enim nocte ita communivit castra, ut tam facile expugnari amplius non possent. A spe igitur hac dejecti, quo tamen Burensem saltem impedirent, consilio haud salubri, ut exitus declaravit, discesserunt. Burenensis de hoc certior factus à Carolo, alio itinere ad ipsum concessit. Protestantes Imperatorem Monhemiam usque secuti, quò minus manum

conferent, Ægræ alveus, utrumq; dirimens exercitum, impedi-  
mento fuit. Cum interim miles Bohemicus Electoris immineret di-  
tionibus, nec Mauricius ipsi, ut à se occupari & sub clientelam  
suã mitti eas permetteret, persuadere posset, minarũ Imperatoris  
memor, pleraq; præter Wittebergam loca sub potestatem misit.  
Protestantes cum prope Sinshemium Carolum cum Albano  
speculantem capere potuissent, lente agendo oblatam à fortu-  
na occasionem perdidērunt. Nuntiata adhæc Mauricii fortu-  
nã, diviso exercitu discessum est. Elector redux Lipsiam ini-  
tio mensis Januar. an. 1547. frustra licet, vehementissimè oppu-  
gnavit. Amisissabrevirecuperavit. Dresdam & Pirnam irrito  
conatu obsedit. Albertum Brandenburgicum, Mauritio cum  
parte copiarum auxilio missum à Carolo, Rochlitzii secure cum  
suis Bacchanalia, ut fertur, agentem oppressit, militum intra mœ-  
nia circiter mille cæsis & trecentis in Mulda flumine suffocatis.  
Albertus Gotham missus est in custodiam. Parta victoria de-  
nuo exercitum, insigni & valde noxio errore, divisit. Wilhel-  
mus Tumshirnus cum parte Bohemiam invasit; Albertus,  
Mansfeldius comes, cum quibusdam in Saxoniam inferiorem  
perrexit. Ipse Elector postquam ex Schola illustri, Goldacka-  
ro Thuringo id suadente, XXI pueros nobiles, tanquam obsides,  
navi Wittebergam misisset, post auditam concionem secutus  
est, Carolo à tergo sibi hærente, qui, Electore in Misniam re-  
gresso, confœderatos jam in ordinem redegerat principes plu-  
rimos. Pontem navibus & lintribus dispositis constantem dis-  
trahere nitebantur Electorales, quibus tamen Hispani quidam  
gladios transversos ore gestantes ac in fluvium se conjicientes  
navigia aliquot, licet multis peterentur telis, eriperunt. His pe-  
dites & impedimenta trajecit Carolus. Equiti enim rusticus, no-  
mine Strauch, cui miles Electoris duos abegerat equos, vindictæ  
cupidine, vadum prodidit. Præmissus levis armaturæ equitatus  
in saltu Lochaviano, prope Mülbergam, Electorem insecutus  
pugnam commisit. Ambiguo adhuc prælii adventu, cum re-  
liquo Carolus suis appropinquavit exercitu; cui multo infe-  
rior Johannes Fridericus, accepto jam adverso per sinistram,  
maxillam vulnere, Germanico militi Tilano à Trot se dedit,  
digito.



igitōque detractum annulum eidem in rei gesta testimonium obtulit. Dum ad Cæsarem duceretur, sublatis in cœlum oculis ita fertur ingemuisse; *Ab adjuva me Deus; in quas angustias redactus sum?* Carolo autem, *equidem me Tibi captivum statuo*, inquit, *Clementissime Cæsar, & ut custodiam mihi ponas principem dignam, oro;* cui Carolus respondit: *Nunc ergo sum Tibi Cæsar?* (vocaverat enim illum in literis belli nuntiis Carl von Geldern/ Gent) accipiam Te pro merito. Durius Cæsare Ferdinandus ipsum allocutus, quod se suosque evertere curasset, inculcavit. Mortis pœnam minitanti Carolo intrepidus recessit Joh. Fridericus: *Poterit quidem Majestas Vestra Cæsarea statuere de me quicquid libuerit: ut tamen timorem huic incutiat pectori nunquam efficiet.* Ocrea ingens Electori detracta, in aula Gallica primum conspicienda ab Hispanis exhibita, postmodum verò Madritum Hispaniæ translata est, ubi adhuc diem peregrinantibus monstrari perhibetur. Solem eo die diutius apparuisse in firmamento, imprudentium saltem Hispanorum fabula est. Misensæ verò d. 28. Apr. Canonicis ob captivitatem Electoris, *Te Deum Laudamus*, hora septima matutina psallentibus tres Basilicæ turres subitum fulmen incendit neque amplius auditum est, cœlo admodum sereno. Quamvis verò Tumshirnius Henricum Brunswicensem liberatâ Bremâ insigni prope Drachenburgum victoriâ prostravisset; propter Electoris tamen cladem, parum hoc æstimatum fuit. Carolus Wittebergam progressus, in Pistericio pago urbi proximo castra metatus est. Johannem Fridericum, sperans eo facilius ad deditiōem compulsū iri Wittebergenses, cæpit damnavit Elector latrunculis cum Ernesto Brunswicense ludebat, cum mortis ipsi affereretur nuncium, quô adeo non teritus est, ut Ernestum etiam in ludendo pergere jufferit. Carolo renunciari præcepit: *Non existimare se Cæsarem ita secum esse acturum; Veruntamen, si firmum hoc ei sit & decretum, petere ut certo sibi renunciatur, quo de rebus ad uxorem & liberos pertinentibus constituere possit.* Albertus Brandenburgicus dimissus, ad castra inter hæc accedens, animum Imp. mitigavit. Conditionibus tamen duris hisce subscribere Elector, coactus est; *se pro se ac liberis suis omni in*

G

Electo-

Electoratam Saxoniae juri renunciaturum; traditis Witteberga Gotha  
ac reliquis propugnaculis, omnia tormenta bellica Imperatori permissu-  
rum tertiamque in castra Caroli alimentorum ac annonae partem allatu-  
rum: Albertum Brandenburgicum & Christophorum Leuchtenbergem-  
sem Landgraviam sine lytro dimissurum, Carolò Ernestum Brunsvicen-  
sem custodia liberante; Mansfeldio & Solmensi comitibus, item Prussiae  
Magistro, per hoc bellum quae ademerit, restitutum: jure in Magde-  
burgum, Halberstadtium & Halam penitus se abdicaturum: Camera à  
Carolo constituta obsequentem fore & sumtus in eam suppeditaturum:  
foedera adversus Carolum & Ferdinandum vitaturum: Feuda Bohemica  
Ferdinando resignaturum; caetera loca Mauricio cessurum, qui è con-  
trario ipsi liberisque D M aureorum pendat: Gotham solummodo cum  
omni usum fructu retenturum, ita tamen, ut arcis munimenta solo  
equet, nec urbem munit: (Mitigata verò hanc, quorundam pre-  
cibus, conditione, Thuringiae pars filiis ejus permissa est.) Ad  
as alienum ante foedus contractum à Mauricio in subsidium centum  
aureorum millia accepturum, reliqua suis sumtibus soluturum: Hen-  
ricum Brunsvicensem, cum Carolo Victore filio, captivos, dimissurum li-  
beros omnisque injuriae oblivionem promissurum: perpetuam Impera-  
toris & filii ejus custodiam subiturum. His subscriptis, praefidarios  
juramento absolvit: Hincque deditio Wittebergae facta est. In  
urbe Carolus rogatus militem Germanicum praefecto ipsis Ma-  
druccio collocavit. Friderico veniam dedit per octi-  
dium in urbe cum uxore & liberis, qui supplices Carolo facti e-  
rant, commorandi deque rebus suis constituendi &). Manibus  
Lutheri pepercit, licet Hispani authores essent, ut sepulchro ex-  
emptum cadaver rogo imponeretur. Johannes Fridericus in  
castra redux, insignem adeo constantiam exhibuit, ut non so-  
lum se aliosque in communi consolari valuerit calamitate, sed  
nullis quoque illecebris, precibus & comminationibus à saluti-  
fera Lutheri doctrina averti aut ad libri *Interim* subscriptionem,  
permoveri potuerit. Arctiori inclusus custodiae, librisque sa-  
cris, quibus legendis solitudinem levabat, privatus, nihilo timi-  
dior factus est. Theologos Augustanos librum *Interim* im-  
probantes ideoque officiis pulsos ita solatus est: Euge igitur  
nulla adhuc magna nos urget necessitas. Remanet enim no-  
bis

bis regnum cœleste: Deus aliam vobis monstrabit terram, in  
quâ verbum ejus divinum prædicare poteritis. Arreptâ bulgâ  
(die Sattel, Fasche) munusculum illis dedit, dicens: Hæc om-  
nia sunt mea bona, ex his munusculū Vobis dabo, hoc inter  
Vestrae socios calamitatis distribuatis. Et quamvis ipse etiā nunc  
miser & captivus princeps sim; aliquid tamen iterum Deus  
mihi largietur. Mauricium Electorem Saxonix inaugurari  
Augustæ spectavit & animo æquo toleravit v). In Deo unicam  
collocavit fiduciam, testatusque literis D. Achilli Pyrmenio  
Gaffaro, Medico Augustano; se plus simplici vice potius mo-  
riturum, quam in rebus fidei à Scriptura sacra recessurum. Cir-  
cumductus undique à Carolo, veniam aliquando venatum ex-  
eundi in Belgio impetraverat. Ibi cum paulatim à custodibus  
deflexisset, & anxie ab ipsis quæreretur, ad portam illos præsto-  
latus est, cum aufugere potuisset. Quo factò magnam Caroli  
gratiam iniit. Carolum Oenoponte Mauricii metu fugientem  
deserere noluit; donec postmodum Augustæ humanissimis  
verbis planè liber ab ipso dimitteretur & in patriam po-  
testatem restitueretur. φ). Suis redditus cum Mauri-  
cio &, hoc defuncto, cum Augusto de insignibus & nomi-  
ne Electoris, quæ & literis & monetæ, dum viveret, imprimebat,  
litem habuit, Rege Danorum mediatore his tandem conditio-  
nibus Numburgi anno 1553. compositam: *ut Johannes Fridericus  
discedat ab Electoratu, Misniâ & oppidis metallicis; quæ Augusto de-  
mum sine mascula prole forte extincto, ad mares Joh. Friderici iterum  
redirent. Interim tamen liceat ei per dies vite nomen Electoris & in-  
signia, tam in obsignandis literis, quam in proferenda moneta usurpare:  
Augustus autem præfecturas quasdam & oppida ipsi prætereà restituat;  
neque tantum pro residuis debitis superiorum annorum, à Mauricio Jo-  
hannis Friderici liberis nondum solutis, centum aureorum millia solvat;  
sed & insuper arcem oppidumque Königsbergam in Franconia, Würz-  
burgensi Prasuli, pro quadraginta aureorum millibus, oppignoratam re-  
dimat.* Fœdus quoque hæreditarium Domûs Saxonice supe-  
rioribus annis violatum ibidem renovatum & publicis literis  
consignatum est. χ) Albertus Brandenburgicus adversus Imp.  
& Mauricium bellum gerens Joh. Friderici ditionibus pepercit  
Criminatus igitur eum est Henricus Brunswicensis, ac si con-

filiorum Alberti particeps esset; quã controversiã Elector Augu-  
stus mediator composuit. Libros Lutheri, Georgii Rorarii & Joh.  
Aurifabri operã, in tomos collectos, Jenæ typis imprimi curavit  
Joh. Fridericus  $\psi$ ). Torgæ amplam arcem, & Jenæ Academiam  
Salanam instituit. Symbolis usus: *Fide, sed cui vide; Verbum  
Domini manet in æternum & pro lege ac grege.* Tandem Ma-  
gnus utique princeps, qui vel inimicorum testimonio, comita-  
te, liberalitate, prudentiã & animi invicti fortitudine excellen-  
tissimos principes æquans, in multis præponi meruit, quod ad-  
versam fortunam constantiã suã omnium iudicio superavit;  
Tandem naturæ debitum an. 1554. d. 3. Martii Vinariz exsolvit,  
Deo commendans animam suam. Rescissis cum Catharina Au-  
striaca, Caroli Imp. sorore, propter religionem sponsalibus, Si-  
byllæ nupsit an. 1527. Joh. III. D. Clivensis filiz, quæ, cum omni-  
um calamitatum sociã ipsius extitisset, moribundum quoque  
comitari voluit, duodecim dies ante ipsum extincta. Pe-  
perit hæc

I. JOHANNEM FRIDERICUM II. Torgæ an. 1529. d. 8. Junii  
qui duce Basilio Murnero cum fratre literis Wittebergæ stu-  
dens, annis natus quatuordecim, publicè 1543. d. 29. April.  
in publica Parentis, principũ & Academiæ totius celebritate,  
de officio boni principis verba fecit. Prælio ad Mülbergam  
cum Cæsarianis commisso interfuit. Capto Parente Witte-  
bergam ac inde Gotham, quod hic non satis tutus putabatur  
futurus, confugit. Decretum de libro *Interim* recipiendo  
recusavit. Post patris obitum patriæ, alternis vicibus ex pa-  
tæ cum fratre toto decennio gubernandæ, gubernacula, ut-  
pote major natus, primus suscepit. Hinc, cum elapso tem-  
pore statuto, eadem nollet fratri cedere, simulas orta est,  
quam Fridericus III. Palatinus composuit. Transactionem  
Numburgensem, de qua diximus, confirmavit Joh. Frideri-  
cus. Pactum confraternitatis de mutua successione ac  
defensione cum Augusto Electore Saxoniz, Joachimo II.  
Brandenburgico, Philippo quæ & Wilhelmo Hassiz Land-  
graviis Numburgi in conventu an. 1561. habito renovavit,  
Augustus

Augustanaeque confessionis & articulorum Smalcaldico-  
rum invariata editionem urfit. Academiam Jenensem  
à B. Parente institutam stabilivit, publicato Imperatoris pri-  
vilegio, praesentibus in templo Jenae multis principibus &  
Professoribus. Ex Grumbachiana factione optimo prin-  
cipi, nec sua, sed aliena culpa lapsa, ingens calamitas nata  
est. Wilhelmus enim Grumbachius nobilis erat Franco-  
niae, ab ephebis incantationibus aliisque sceleribus celebris.  
Hunc Herbipolitanus praesul Melchior, è gente Zobella,  
quod, Albertum Marchionem Brandenburgicum adversus  
Imp. concitasse diceretur, feudo privaverat. Quare anno  
1558. Episcopum ex urbe, per Moeni pontem, in arcem  
ascensurum sclopeti ictu, ope sicariorum, interfecit. Ex his  
Crecerus à successore Melchioris comprehensus laqueo sibi-  
met ipsi in vinculis gulam fregit, ne Grumbachium tor-  
mentis ad id adaectus cogeretur prodere. E literis tamen in  
Archivo Würzburgico repertis Grumbachi machinationes  
paulo post detectae sunt. Cum itaq; frustra, edita apologia,  
se purgasset hic, pellectis ad se plurimis, qui Alberto Bran-  
denburgico adversus Germaniam militaverant, penes Jo-  
hannem Fridericum patrocinium invenit. Hinc octin-  
genti circiter sociis stipatus an. 1563 Würzburgum summo  
mane circa horam tertiam oppressit; urbe direpta Canoni-  
cis juramentum, quo amnestiam & silentium polliceban-  
tur, & syngraphum, de ingenti pecuniae summa certis vic-  
ibus solvenda, extorsit. Proscripto igitur in Comitibus Wor-  
mationensibus Grumbachio, Augustus Elector, cui factio ses  
persequendi negotium fuerat commissum, Johannem Fri-  
dericum, ne latrocinantibus & Imperii hostibus receptacu-  
lum daret, frustra cum Johanne Wilhelmo dehortabatur.  
Grumbachiani enim spem ipsi fecerant de mutando magi-  
stratu, recuperando Electoratu, & consequenda denique  
Imperii dignitate, adducto insuper magicis artibus prosti-  
bulo, tanquam regina esset Angliae Elisabetha nuptiarum  
ipsius avida, cujus auxilio fasces Imperii expugnare posset.

Et tandem ventum est, ut à Maximiliano II. Imp. proscriberetur. Executio Augusto Electori hisce mandata est: *Augustus Saxo videat, nè Resp. quid detrimenti capiat.* Is cum nec precibus nec minis ad officium reducere Johannem Fridericū posset mediatoresque Elector Palatinus, Hassiæ Landgravius & Wilhelmus Juliacensis frustra reconciliationem, inter ipsum & Augustum, (in quem Grumbachius sicarios conduxerat) tentarent, octo equitum & quadraginta pedum millibus Gotha, sedes Johannis Friderici, cincta est. Ortâ inter cives & præfidiarios contentione Grumbachium cum Wilhelmo Stenio & Christiano Pontano Ducis Cancellario captum urbe simul dederunt cives Electori; qui per dies aliquot in exequiis Philippi Hassiæ Landgravii aberat. Urbem ac arcem cum Johanne Wilhelmo ingressus an. 1567. d. 13. Apr. supplicem Johannem Fridericum ne aspectū quidem dignatus esse perhibetur. Grumbachius læsæ majestatis reus & Pontanus, qui contempta proscriptione Ducem pessimis consiliis seduxerat, in partes quatuor dissecti ad quatuor viarum plagas suspensi sunt. Reliqui malefici capite mulctabantur, præter puerum negromanticum, qui Johanni Friderico ex Grumbachianorum sententia mira prædixerat; hic laqueo vitam finiit. Pontanus (qui concionatores Gothanos, Grumbachii factâ improbantes, in exilium miserat, & Georgio Zibeler Sulzbachensi haud procul Gothâ paracho, Christi pupillam, exclusis suis ministris tangi asseveranti, responderat: *Wenn ich Christo in die Aug apffel griffe / würde er mich wohl auff die Finger klopfen. Darum packet euch / ihr losen Pfaffen / daß unser Land der clamanten loß werde.*) Wedemannum Erfurto accersi petiit, quo per illū à suis absolveretur peccatis. Jo. Fridericus legatis Maximiliani sua sponte se comittens, frustra, ut in Saxonia custodiretur, petiit. Viennâ ductus & per plateas aperto curru stramineumq; pileum in capite gerens, circumvectus Neapoli Austriæ vinculis mancipatus est. Grimmsteinâ solo æquata. Joh. Friderico Daniæ regis intercessio nihil præterea commodavit, quàm quod laxius paulo haberetur. Capti-  
vitas

vitatem ejus conjugis, quæ cum filiis Neopolim maritum se-  
cuta est, contubernium levavit. Bibliis igitur aliisque li-  
bris Theologicis legendis vacavit. Stiræ an. 1595. d. 9. Maji  
ætatis an. 66. mense sexto, exilii 28. morbo familiari erisype-  
late, Matthia Hoe postmodum concionatore aulico Dres-  
den si præsentem, extinctus est. Extis Stiræ in templo D. Æ-  
gidii juxta altare reconditis, cadaver in patriam delatum,  
Coburgi magnificè sepeliverunt filii, qui Maximiliano in  
Comitiis Spirensibus an. 1570. reconciliati, partem ditionum  
recuperaverant b). Uxores habuit

1) AGNETEM Hassiacam Mauritii Electoris viduam, paulo  
post nuptias defunctam.

2) ELISABETHAM Friderici III. Electoris Palatini filiam, ex  
quâ nati ipsi

a) JOHANNES FRIDERICUS, 1560. die 8. Aug. mortuus,  
postquam 6. menses & 12. dies vixisset.

β) FRIDERICUS n. anno 1573. die 3. Febr. mortuus die 3.  
Augusti.

γ) JOHANNES CASIMIRUS, natus 1564. die 18 Jul. qui ex  
ditionum parte, quam Johannes Wilhelmus in Comitiis  
Spirensibus 1573. sua sponte nepotibus ex fratre cesserat,  
Coburgum obtinuit, ubi Gymnasium condidit, cui an-  
nuus sumptus, Academiae Salanzæ exhiberi solitos, dica-  
vit. In Gymnasio Gothano XXV adolescentes aluit.  
Monetam verbis signare solebat: *Elend nicht schadt dem /  
der Tugend hat.* Concionatori aulico, ut se peccantem  
corrigeret, præcepit. Primas nuptias 1585. cum ANNA  
Augusti Electoris Saxoniz filia, m. 1613. Secundas cum  
MARGARETHA Luneburgica celebravit. Extinctus  
improvisis anno 1631. postquam Lipsiensi interfuisset con-  
ventui. c).

δ) JOHANNES ERNESTUS, natus 1566. d. 9 Jul. simplici-  
oris genii princeps, qui Marckfulæ, deinde Henaci, sedem  
habuit. Fratris possessionem hæreditario jure, ipso mo-  
riente, nactus est. B. Gerharo delictum humani ge-  
neris audiit; arte fabrilis non parum delectatus est. Eli-  
sabe-

Sabetham Johannis Comitis Mansfeldii filiam Neapoli  
Austriæ non sine captivi parentis solatio sibi conjunxit,  
1593. quæ cum partu, Johanne Friderico, 1568. obiit. Cum  
CHRISTIANA, Wilhelmi Hassiæ Landgravii Mathema-  
tici filia, sterile matrimonium habuit d).

II. JOHANNEM WILHELMUM, de quo seqv. §.

III. JOHANNEM ERNESTUM, n. 1534, m. 1553. die 8.  
Februarii.

IV. JOHANNEM FRIDERICUM III. nat. Torgæ 1538. d. 15.  
Jan. qui adversam semper valetudinem expertus est; to-  
mos verò Lutheri aliorumque Theologorum libros stu-  
diosè volvit. m. Jenæ 1565. d. 31. Octobr. Vinariæque se-  
pultus est.

a) Fabric. l.c. in vitæ ejus. Reusnerus in stemmat. Wittekind. p. 44.  
β) Sleidan. de St. R. L. VIII. Hortled. Tom. I. l. 1. c. 12. γ) Sleid.  
l.c. δ) Sleid. l.c. ε) Goldast. in Politischen Reichs. Händeln  
Part. I. Sleidan. L. IX. p. 143. ζ) Sleidan. L. c. p. 153. η) idem  
l.c. p. 156. a. θ) Sleidan. L. IX. ι) Sleidan. L. IX. κ) Dresser.  
P. IV. Isag. Hist. p. 124 & P. V. p. 436. λ) Laur. Peccenstein, in  
Theatr. Saxon. μ) Fab. l.c. ν) Sleidan. L. XIV. p. 338. alii in-  
ter Lusum, quò Mauritius Wurzenam perdidisset, ortum exi-  
stimant inter Mauritium & Electorem odium. Hortens. in hist.  
B. Germ. ξ) Schard. rer. Germ. Tom II. p. 3536. ο) Sleid. Lib.  
XV. p. 163. π) Sleidan. L. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. Horten-  
sius in hist. B. Germ. Fab. l.c. Conf. Oldenburg. præfat. in com-  
ment. ad Instr. Pacis Monast. Osnabrug. Thuan. l. 4. Hist. ς)  
Sleid. L. XX. p. 369. σ) Fab. l.c. τ) Fab. l.c. υ) Fab. l.c. φ)  
Fabr. loc. cit. in vitæ ejus. χ) Schard. rer. Germ. T. 4. p. 2275.  
Thuan. l. 4. conf. Oldenburg. l. c. Scriptores hujus belli recitat  
Sagittarius in Memombil. hist. Gotbana. p. 26. seq. ψ) Fab. l.c.  
ω) Fab. in vitæ ejus. Andr. B. yer. in Dedic. ad Syllab. a) Fabr.  
in vita. conf. anonym. Denckwürdiger Geschichte / von der  
Landschafft Thüringen.

§. 6. JOHANNES WILHELMUS, n. 1530 d. 11. Mart. de-  
cimo ætatis anno Witebergæ, ubi literis operam dabat, de Ge-  
orgio S. Equite in magno principum ipsiusque parentis confessa  
peroravit. Gratulatus igitur ipsi ac Fratri est de specimine Lu-  
therus.



therus. In bello Smalcaldico à parente demò relictus, imminente suis ditionibus Ferdinando, cum milite Bohemico, per Legatos Mauritium, Freibergi conventum ordinum habentem frustra hortatus est, ut conjunctis viribus patriæ periculû averteret. Wittebergam non prius Carolo V. tradidit, quam dum in ultima constitueretur necessitate parens. Academiam Jenensem à parente institutam, evocatis illinc Erfurto, Victorino Strigelio, Theologo & Philosopho eximio, licet Synergista, Tubingâ Everhardo Schnepfio, Theologo itidem gravissimo & Johanne Strigelio Poëta, promovit ac ampliavit. Bruxellas quoque an. 1553. profectus est, ut privilegia & confirmationem eorum à Carolo V. impetraret; quæ tamen saltem tum promittebantur. Actis Numburg. subscripsit: fratri ex pacto, provinciarum alternis vicibus gubernandarû, regimen, tum, utpote natu majori, permisit. Ipse interim Pomeraniæ ac Prussiæ principum aulas frequentavit; denique Pragam ad Ferdinandum Imp. 1557. progressus, confirmationem Jenensis Academiae procuravit, quam frater postea d. 1. Febr. solenni more publicavit. Henrico II. Gallia Regi an. 1558. tria millia equitum & quadraginta adversus Hispanos: deinde Carolo IX. quinque millia adversus *Condeanos* adduxit, editoq; scripto publico, se non adversus Evangelicos, sed qui sub prætextu Evangelii Regis ac summi Magistratus auctoritatē iminuerent, arma ferre testatus. Gratus adeò ob virtutes extitit Regi, ut ditionem ipsi in Gallia usurpandam assignarit; ubi sic vixit, ut neque idololatricum Papistarum cultum probaret, neque etiam ob religionem cuiquam molestus evaserit. Præterlapso decennio priori, ditionum gubernacula ipsi frater, Grumbachianâ factione corruptus, negavit; quam litem Fridericus III. Palatinus composuit. Divisione facta Coburgum adjunctis Franciæ oppidis accepit: Johanni Friderico Gotha, cum reliqua Thuringia Ducali, cessit. Addictis sibi ab Imp. post bellum Grumbachianum, omnibus fratris possessionibus, partem tamen ultro Johannis Friderici liberis reddidit. Et ne Synergistici errores in ditionibus suis agerent radices, cavet, opposita ipsis ex Scriptura S. libris Lutheri & Confessione Augustanâ, refutatione. An. 1568. de *Trina Christiana* articulos

H

enu.



enumeravit, pulsisque Ecclesiæ turbatoribus, pastores in exilium pulsos revocavit. Colloquium Altenburgi, quo inter suos D. Joh. Wigandum, D. Joh. Fridericum Cœlestinum, M. Christophorum Irenæum, M. Barth. Rosinum, M. Alexium Bresniceram, M. Thimoteum Kirchnerum, M. Martin. Burggravium, quibus ex Politicis Eberhardus Tham, Petrus Brem J.U.D. Henricus ab Erffa; & Augusti Electoris Theologos D. Paulum Eberum, D. Henricum Salmuthum, D. Andr. Freyhabium, D. Peterum Prætorium, M. Casp. Crucigerum, M. Christ. Schulzium, Concionatorem Aulicum, M. Henr. Mollerum, quibus adjuncti erant Joh. de Bernstein, Jonas de Zeschau, Laurentius Lindemannus J.U.D. de justificatione, libero Arbitrio & de Adia-phoris institueretur, effecit. Sed infectis rebus discessum est β). An. 1570. delectus pro Rege Galliarum cum Badensi Marchione instituisse, inque Galliam, salutandi regis gratia, & de acquisita ditione constituendi, profectus esse, dicitur. Sac. Biblia octies perlegit. Obiit Vinarie 1573. d. 2. Mart. veneno, ut quidam existimant, postquam concionator ejus Castrensis in Basilica Viennæ Maximiliani II. concessione, concionem publicam habuisset, ipsi propinatō Anno præcedenti cometa visus in sidere Cassiopeæ. Ex Dorothea Susanna Friderici III. Palatini filia, ducta 1560. m. 1592. reliquit

I. SYBILLAM MARIAM in infantia extinctam.

II. FRIDERICUM WILHELMUM n. 1562. d. 22. April. qui sub matris & Augusti Electoris tutela, educatus est. Synergisticis conatibus ab Augusto Electore libro S. Concordiæ finis impositus est. An. 1573 Jenam missus Rectoris munus oblatum summa cum laude administravit. Natus annis 21. thoro sibi sociavit an. 1583. Sophiam Christophori Ducis Württembergici filiam an. 1590. in partu defunctam Fachæ, duobus à Fulda miliaribus, quo à Wilburgo è Nassaviensi comitatu concesserat. Secundas cum Philippi Ludovici Palatini filia, Anna Maria, 1591. d. 29. Aug. inijt nuptias γ). Defuncto Christiano I. Electore Saxoniarum, pupillorum ejus ex testamento tutor factus, Synergistas & Crypto-Calvinistas exterminavit,

vit, D. Davide Peifero consiliario, & D. Martino Miro con-  
cionatore aulico ab exilio revocatis; Nicolao Crellio autem  
Cancellario & Christophoro Colreutero, Calvinistarum pa-  
tronis, in carceres conjectis. Theologos quoque Dresdæ  
L. Johannem Salmuthum, Davidem Steinbachium conci-  
onatores aulicos; Wittenbergæ D. Urbanum Pierium, &  
Lipsiæ Christophorum Grundmannum è fuga retractum,  
in custodiam dedit. In conventu Torgæ an. 1592, d. 27. Feb.  
habito de conservanda religione orthodoxa; sublevandis  
oneribus; occurrendis imminentibus Germaniæ tumulti-  
bus, consilia cœpit, Nobilesque homagio sibi obligavit. Wit-  
tebergam profectus, suam & contutoris Georgii Branden-  
burgici, de non toleranda alia, præterquam quæ Aug. Conf.  
& Formulâ Concordiæ contineretur, doctrina, volunta-  
tem aperuit; quæ Lipsiæ etiam die 6. Mart. publicata est.  
Grundemannus, Salmuthus, Steinbachius & Pierius, neque  
contra A. C. unquam se amplius docturos, neque sugge-  
stum conscensuros polliciti, solum vertere jussi sunt. Crellius  
post decennium capite plexus fuit. Sub initium mensis Julii  
visitatio Ecclesiarum juxta præscriptos articulos per Mi-  
sniam, Thuringiam & Saxoniam facta, sub qua etiam tres  
scholæ illustres, Misnensis, Grimmana & Portensis, com-  
prehendebantur. Cæterum procuravit Fridericus Wilhelmus  
ut Christianus II. Misnensi, Johannes Georgius Mersbur-  
gensi; Augustus Ziticensi præfulatibus præficerentur. In-  
ter Johannem Georgium, Joachimi Friderici Brandenbur-  
gici filium, & Carolum Lotharingicum Cardinalem & Epi-  
scopum Metensem, de Argentinensi Episcopatu disceptan-  
tes, arbiter lectus, frustra conciliationem tentavit anno 1593.  
actione in mensem seqv. suspensa. Eodem anno seditiosos  
& malitiosos quosdam, qui orto, ex D. Huberi & Johannis  
Majoris dissertatiuncula in ædibus Adolphi Winhusii Lipsiæ  
habita, tumultu domum expilaverant, quatuor capite mul-  
tatis, gravi oratione ad officium reduxit. An. 1594. Ratis-  
bonensibus comitiis, in quibus de Turcis reprimendis deli-  
beratum est, interfuit. Anno 1596. plagarios duos, qui ex

Hildesiensi diœcesi Bernhardi Westphali unicum filium abduxerant, cum cive Ilenburgico ipsos fovente, capitis damnavit. Anno 1601. Ratisbonam ad colloquium cum Jesuitis habendum, communicata prius cum Philippo Ludovico Palatino mente, Theologos D. Ægidium Hunnium & D. David Rungium misit; ubi præprimis de norma & iudice controversiarum, à nostratibus disputatum est d). Tandem elapso administrationis decennio Vinariam reversus & in itinere ad Ichtershusam morbo correptus Vinariamq; relatus, postquam prius multa cum D. Marco Gerstenbergero Cancellario & Georgio Wolfframsдорffio collocutus esset, animam efflavit 1602. d. 7. Jul. Princeps in fide constans, erga subditos clemens, erga familiares candidus, præcationes conscripsit; contentiones inter Theologos sustulit; mansuetudine potius quam convitiis & clamoribus errantes corrigi cupiens. Arcem Torganam, quâ Albim spectat, muro cinxit. Nuptias cum Würtembergica celebraturus, de suggestibus illud publice proclamari, sibi que divinam exorari benedictionem curavit e). Ex priori matrimonio habuit.

- 1) JOHANNEM WILHELMUM
  - 2) FRIDERICUM IV.
  - 3) DOROTHEAM MARIAM
  - 4) DOROTHEAM SOPHIAM n. 1587. Abbatissam Quedlinburgensem m. 1645.
- } in tenera ætate extinctos.

Ex posteriori

- a) JOHANNEM PHILIPPUM n. 1597. d. 25. Jun. cui tribus annis juniori litem, de sedis prærogativa, Joh. Ernestus patruelis movit. Coram Imperatore vero causam 1607. obrinuit f). Conventui Lipsiensi 1631. interfuit. Obiit 1639. Ex Elisabetha Brunswicensi ducta 1618. m. 1650. nata

ELISABETHA SOPHIA 1619. uxor Ernesti D. S. m. 1680.

- b) ANNAM SOPHIAM n. 1598. Carolo Friderico Duci Münsterbergensi an. 1618. collocatam. m. 1641.

c) FRI.

c) FRIDERICUM n. 1599. d. 12. Febr. qui in aula JOHANNIS GEORGII I. Venationi & legioni militum in obsidione Budissinensi præfuit. Pro Hispanis delectum acturus, cum promissa destitueretur pecuniâ, Christiano Brunswicensi, qui Friderici Palatini causam susceperat, operam suam addixit; quô prope Statloham in Westphalia in fugam compulsus, inter alios captus, Electoris verò Saxonix intercessione dimissus est. Denique Christiano IV. Daniæ Regi, à fœderatis Saxonix inferioris, in circuli Ducem lecto, 1625. militavit. Anno 1623. Nimburgi in Brunswicensi ducatu, cum eam Tillius obsideret, improlis obiit 7).

*ecceidit in proelio  
cui Generali Offi  
trunilio non pro  
cul Hannovera  
u6 An. Sollio casu*

d) JOHANNEM WILHELMUM n. 1610. die 13. April. m. 1632.

e) DOROTHEAM n. 1602. nuptam 1633. Alberto Isenacensi m. 1675.

f) FRIDERICUM WILHELMUM III. n. 1603. d. 12. Febr. qui Johannis Georgii I. Electoris in Lusatia exercitum 1634 duxit. Tomos Lutheri, Jenenses, Wittenbergicos & Isenacenses, studio D. Christfridi Sagittarii, Altenburgi in unum opus redegit. 9) M. 1669. d. 22. Jul. Vxores habuit *Sophiam Elisabetham* Christiani Wilhelmi Marchionis Brandenburgici filiam, junctam sibi an. 1638. m. 1650. & *Magdalenam Sybillam*, Johannis Georgii I. Electoris filiam, Christiani V. principis Daniæ hæreditarii viduam, quâ ipsi prognati sunt

1) CHRISTIANUS n. 1654. m. 1663.

2) JOHANNA MAGDALENA n. 1656 elocata Joh. Adolpho Duci Saxonix Weissenfels. 1671. mort. 1680.

3) FRIDERICUS WILHELMUS IV. n. 1657. anno ætatis XV. m. 1672.

In hæreditate horum dividenda Vinarienses, Gothanos, quibus favebat, jus primogenituræ, fœdus confraternitatis & testamentum à Friderico III. conditum, prævenerunt quidem; transactione autem factâ, principa-



(*transalpinum* *W* *videtur* *zills*) *ms. A. 1915. 3110*  
tum Altenburgicum, cum omnibus ad eum pertinentibus præfecturis, principatu Coburgensi, ditionisq; Hennebergicæ parte 1) cedere coacti sunt. Ipsi retinuerunt octo præfecturas, Roslanum, Burgellensem, Heusdorffensem, Hartislebiensem, Alstetenensem, Rembdanam, Freyenbergensem, (in principatu Isenacensi, cum integro voto Isenacensi,) quam Ernestus Gothanus, ex Alberti fratris hæreditate, possederat 2).

III. Fuit Johannis Wilhelmi filius, JOHANNES lineæ Vinariensis autor, de quo seqv. §.

IV. MARIAM nat. an. 1571. Abbatissam Quedlinburgensem, mort. 1610.

a) *Fabric. l. VIII. O. S. in vita. conf. Spener. in Sylloge genealog.*

β) *Fabr. in vit. γ) Fab. in vit. δ) Fab. l. c. contin. Sleid. Germ.*

*P. I. C. 9. seq. Chron. Schneideri Lips. de colloquio Ratisbon. vid. Epist. consolatoriam anonymi, cum annotationibus Ægidii Hunni, Magdeburgæ an. 1592. editam.*

ε) *Fabric. l. c. autor*

*Denckwürdiger Geschichte von der Landschaft Thüringen. in vit. ζ) Spener. in Sylloge. η) Theatr. Europ. & Epit. rer.*

*Germ. ad an. 1623. conf. Speneri Syllogen & Oldenburg. præfat.*

*cit. θ) Spenerus l. c. ι) in qua præfectura Wasungen, Sand,*

*Frauenbreutungen. Sagittar. in Memorab. hist. Goth. p. 104.*

κ) *Spener. l. c. autor Denckwürdiger Geschichte etc.*

§. 7. JOHANNES II. n. Vinariæ 1570. d. 12. Maji, qui Jenam missus Cromedorffii aulæ Magistri & Virgilio Pringiceri J. U. D. & Prof. ibidem curæ commissus est. Italiam lustrans, Venetiis actiones magni consilii (ipsis Gran Consiglio) ignoto habitu spectavit. Johannem Fridericum II. Neapoli visitavit. Perlustratâ Hungariâ per Moraviam & Bohemiam reversus est. An. 1593. nuptias cum Dorothea Maria, Joachimi Ernesti principis Anhaltini filia, celebravit, quibus multi principes interfuerunt. An. 1597. à fratre Pro Electore & Joh. Georg. Brandenburgico missus, legati munere ad Rudolphum II. Imp. functus est, ut Christiani I. Electoris Sax. filiis Voigtlandiam, Joh. Friderico I. in bello Schmalcaldico à Bohemis ereptam, fiduciario jure acquireret: ubi quoque compos voti factus est. Fratre mortuo

mortuo, qui provinciarum administrationem conjunctim gesserat, cum liberis ejus patrimonium partitus, Vinariam cum adjectis praefecturis & oppidis consecutus est; relicto ipsis Altenburgico principatu. Opperit 1605. d. 31. Octobr. cum dixisset: *Non peribunt justii, sed habebunt vitam eternam a*). Nati huic

I. JOH. ERNESTUS 1594. d. 12. Feb. qui 1615. provinciarum regimen suscepit. Friderico Palatino à Bohemis contra Ferdinandum II. in regem electo an. 1620. militavit. Eò autem die 8. Novembr. prope Pragam in Albo Monte, Dominicâ, quâ Evangelium in Ecclesia explicatur: *Date Casari, quae sunt Caesaris*; in fugam à Caesarianis propulsò, in Bataviam militatum anno 1621. abiit. Danorum Regi Christiano IV. *Unionis Ducis*, aliquot cohortes 1625. adduxit, quibus Fuchium legatum praefecerat. Cum Mansfeldio Comite per Marchiam in Silesiacos agros irruptionem fecit. Denique ad Bethlehemum Gabor Transylvanum, quem adversus Imp. Mansfeldius armaverat, contendit. Bannum Imperii avertit morte sua, quae contigit in Ungaria; an. 1626. die 4. Decembr. Johanni Philippo Duci Altenburgico de praecedentia controversiam movit, quod ipsum duobus annis antecederet. Evangelicis liberum Aug. Confessionis exercitium an. 1621. in Belgio impetravit. Symbolo usus est: *Cum Deum timemus, omne bonum habemus*. Vixit celebs.  $\beta$ )

II. JOHANNES WILHELMUS III. n. 6. Apr. & m. 1639. die 16. Maji.

III. FRIDERICUS VII. n. 1596. d. 1. Mart. Christiano Brunswicensi & Mansfeldio militans, in praelio ad Floriacum, cum Corduba Hispanico Duce commisso periit anno 1622. d. 19. Aug.

IV. JOHANNES III. n. 1597. m. 1604.

V. WILHELMUS III. de quo seqv. §.

VI. ANONYMUS.

VII. ALBERTUS n. 1599. d. 12. Jul. Cum Johannes Ernestus Joh. Friderici II. captivi filius absque prole mortuus esset, Isenaci, quod inter alia ad Vinarienses pervenerat, sedem habuit. m. 1694. improlis ex Dorothea Altenburgica.

VIII,

VIII. JOHANNES FRIDERICUS nat. 1600. d. 19. Septembr.  
membrum Unionis; qui Mindæ à Tilio obsessæ auxilia  
adducturus, captus ac primum Electori Saxoniz, denique  
fratribus in custodiam traditus est, m. cælebs an. 1628. d. 11.  
Octobr. γ)

IX. ERNESTIUS, de quo seq §.

X. BERNHARDUS n. 1604. d. 6. Aug. princeps sapiens, mo-  
deratus, castus, constans, patiens, clemens, generosus & be-  
neficus, cujus fama totus personuit orbis. Literis optime in-  
structus, multa præterea calluit idiomata. Primum milita-  
vit Hollandis; denique Marchioni Durlacensi Schlickium  
comitem Holfatiâ arcensem. Tandem, cum Lipsiensi in-  
terfuisset conventui, Gustavo Adolpho Magno Svecorum  
regi operam addixit; postque prælium Lipsiense, 1631. Rege  
in Franconia bellum gerente, cum Hornio, Manheimium,  
Spiram & Fridbergam expugnavit. Cum Rex Wallenstei-  
nium in castris oppugnaret, eidem præsto quoq; Bernhardus  
fuit. 1632. In pugna prope Lützenam sinistro cornui præfuit,  
regeque dum speculatum exiisset cæso, sua virtute ac pru-  
dentiâ, ut Cæsariani in fugam compellerentur, præstitit.  
Pappenhemius ex primariis Ferdinandi ducibus tormenti  
pila in femore vulneratus Lipsiæ in arce Pleissenburgo inter  
magnos cruciatus & ejulatus animam efflavit. Bernhar-  
dus ditatum spoliis exercitum Weissenfelsam duxit, ut ibi  
eum reficeret Saxonicasq; & Luneburgenses copias expecta-  
ret. Summa consiliorum cura Axelio Oxenstirnio, regni  
Cancellario, militiæ verò Bernhardo nostrò, item Bannerio  
& Hornio à Svecis commissa est. Quare in Franconiam  
1633. cum dimidia exercitus parte profectus, diœcesin Bam-  
bergensem urbesque Bambergam, Cronacum & Hocstetam  
sub potestatem misit. Junctis deinde sibi copiis, quas Wil-  
helmus frater ex Thuringia adduxerat, & Hornio, Donaver-  
dam, Aicham, Dachaviam, Monachium, Landsbergum &  
Neoburgum expugnavit: Landsbergum diruit. Ingol-  
stadium frustra obsedit. Francofurti, nomine coronæ Sue-  
cicæ, Dux Franconiz proclamatus, doctrinæ Evangelicæ  
funda.



fundamenta, in diœcesi Herbipolitana jecit. An. 1634. iterum Hornio junctus, fugato Aldringero Duce, Landshutum subegit. Ad Nordlingam cum Ferdinando Rege Ungariæ, & Ferdinando Cardinale Belgii gubernatore, qui insigni Hispanorum veteranorum exercitu instructi, Ratisbonam Svecorum duci Larskage præfecto ademerant, infelicibus anno 1634. d. 27. Aug. auspiciis, manum conferuit. Hæc clades Bernhardo à quibusdam adscribitur, quem tamen nunquam bis in hoc bello peccasse, satisque errori huic an. 1638. capto Brisaco *litasse*, fatentur. Jam igitur collecto ex fuga prope Francofurtum milite & à quatuor circulis Germaniæ Dux Generalis denominatus Spiram Cæsareanis iterum eripuit an. 1635. Ab induciis Pragensibus abhorruit. Ad Metim Valletano Cardinali Gallorum duci sociatus, Cæsareanos ab obsidione Moguntia depulit. Qui cum novis instructi auxiliis reduces Moguntium, Franckenthalium &c. cepissent, Bernhardus in Lotharingiam progressus Hispanos ad Theodonisvillam profligavit. An. 1636. Tabernas Alsatia, post diuturnam obsidionem, cepit. Condæo Duci, à Dolæ obsidione depulso, suppetias tulit in Burgundia, Gallassiumque Cæsarianum ducem multis damnis affecit. Hyberna in Delspergia valle, quam, à Duce Verdano eò compulsus, occupaverat, habuit; quibus peractis Sechingam, Valdshutum & Lauffenbergam occupavit. Ad Reinfeldam clade à Cæsarianis affectus, securos sequenti die in fugam compulit, captis Verdano, Sabellio custodibus iterum elapso, Sperreutero & Euchefordio. Reinfeldam deditione, Friburgum vi expugnavit. Brisacum obsidione cinxit; Gbessium Bavorum Ducem & Sabellium Cæsarianorum pressæ opem laturos ad Wittenweyer: Gbessium cum Lambojo & Golzio, postquam Lotharingum his accessurum profligasset, secunda vice prostravit. Horstium obsessis commeatum adducturum, per Rosam ducem fudit. Reinachio præsidii præfecto ad incitas & summam famis necessitatem redactò, deditio Brisaci facta est. Præsidium, relictis 135. machinis bellicis, Argentoratum, salvo conductu accepto, dimissum est.

Præfectus discedens dixit: Decus Austriacæ domus esse  
perditum. Ipse Bernhardus, locum hunc, sponsam sæpius  
suam appellavit. Ante primariam urbis oppugnationem  
Psalmum recitavit LXXI. Equum conscendens exclama-  
vit: *Deus me non derelinquet.* Urbe expugnata inter tym-  
panorum clamores Deum laudavit. Annus capti Brisaci  
continetur hōc versu:

InVICto fortis CeCidit Brisels Achilli,  
Iungit Vr & tanto Digna pVeLLa Viro.  
Moneta quoque cusa, in qua Bernhardi ducis imago conspi-  
ciebatur cum inscriptione: *Herois hujus nomina, in cuncta  
clarent secula. Magni Ducis effigies Bernhardi Saxon.* Hoc  
facto in Burgundia Pontarlinum diripuit. In vitam ejus  
plus quam triginta, in certum à quo, sicarii conducti sunt,  
ex quibus Friburgi aliquis capite mulctatus est. A Gallis ve-  
nenum ipsi dicitur fuisse propinatum, quod Brisacum ipsis  
nollet, acceptâ pecuniâ, cedere. Cum enim Bavaris in Sve-  
via obviam iturus esset, morbo in itinere correptus, Neobur-  
gum reductus est. Ministris decumbenti, patriam adhuc  
ope sua indigere, dicentibus; Deum non uni homini ad-  
stringi, respondit. Testamento constituto Erlachium, co-  
mitem Nassaviensem, Rosam & Ehemium duces præfecit,  
nec prius arma deponere eos jussit, quam in integrum reli-  
gionis restituta libertas esset. Ducibus modo dictis cuique  
10000. talerorum; Nassavio autem equum præterea suum  
legavit. Reliquis Ducibus 60000. Concionatori Castrensi  
4000. Medicis duobus 1000; secretario 100. taleros dedit.  
Sacra synaxi usus, adstantibus; *Discedite fratres, inquit, ne  
me in sermone, qui cum JESU meo instituendus est, turbetis.*  
Atque sic obdormivit incomparabilis princeps an. 1639. d. 8.  
(al. 17.) Jul. Corpus Neoburgo translatum, Brisaci in sa-  
cello conditum est, quod postmodum Wilhelmus & Erne-  
stus cum venia Ludovici XIV. Regis Gallix inde Isenacum  
1655. deductum Warburgi in patrio monumento condide-  
runt, concionem funebrem Dan. Ruckero Conciona-  
tore ipsius quondam & parentationem Jechhusio Cancel-  
lario

lario habente. Vexillum funebre verbis erat signatum: *Mea Deus Gloria*. Cæterum Rex Galliarum in defuncti Bernhardi gratiam, lugubrem habitum induit, missisque in Germaniam centum mille duplonibus exercitum sub signa sua, una cum Brisaco, recepit. Bernhardus matrimonium cum Amalia Wilhelmi Landgraffii Hasso Cassellensis vidua meditatatus esse, ditionemque aliquam circa Rhenum acquirere sibi voluisse perhibetur. *δ*)

*α*) *Fabr. in vit. Spener. in Syllog.* *β*) *Epitom. rer. Germ. sub dictis annis. Oldenburg. in praf. comment. ad J. P. Spener. in Sylloge.* *γ*) *de his cit. autores.* *δ*) *Ea ex Pufendorffii & Chemnitii vol. de bello Germano - Svecico, rer. Germ. Epitomatore, Schulzii Chronico, Oldenburgeri prafat. c. Imhoffio & aliis referuntur.*

§. 8. WILHELMUS IV. natus Vinariæ 1598. d. ii. Apr. juvenis literarum studiis operam dedit. Robustior factus Christiano Brunsvicensi militans in prælio ad Statloam Westphaliæ 1623. captus Neostadiumque Austriæ in custodiam missus, Johannis Georgii I. Electoris intercessione liberatus est. Joh. Ernesto fratre in Hungaria extincto, jure primogenituræ, ditionum Vinariensium regimen capessivit 1629. Extincta Coburgensi lineâ, an. 1638. non exigua ditionum pars ipsi ac Fratibus accessit. Divisis possessionibus Wilhelmus Vinariam, Albertus Isenacnm, Ernestus Gotham cum suis ut vocant, pertinentiis & præfecturis obtinuerunt. Alberti hæreditatem cum Ernesto 1644. amice partitus est. Post conventum Lipsiensem primus cum Wilhelmo Hassiæ Landgraffio fœdus iniit. Belli dux à Rege Svecorum in Thuringia constitutus delectus pro Rege egit, à quo ipsi promissum est, si contingeret eum ditionibus suis pelli, receptum persona sua dignum in Svecia daturum; aut si captivus fieret, omnes ad liberandum ipsum opes impensurum. Hinc Erffurtum ex improvise occupavit civesq; ut Regi claves urbis traderent, salvis tamen ipsorum privilegiis & juribus coëgit. Ibidem delectibus regiis, & bello in Thuringia præficitur. Goslariam stratagemate, Gottingam vi & Nordheimium expugnavit. Duderstadium deditioe cepit. Bernhardo fratri an. 1633. Bambergam in Franconia octo millia militum, & dein ad Nordlingam

caso Francofurtum alia auxilia adduxit. Pace Pragensi 1635. Casari reconciliatus est. Vinarix arcem Wilhemburgum condidit. a) Decessit 1662. Ex Eleonora Dorothea, Johannis Georgii Anhaltini filia genuit

I. WILHELMUM n. & den. 1626.

II. JOHANNEM ERNESTUM V. n. 1617. de quo seq. §.

III. JOH. WILHELMUM III. n. 1630. d. 16. Aug. m. 1639. d. 16. Maj. IV

IV. ADOLPHUM WILHELMUM, n. 1632. d. 15. Maji. qui Ifenaci 1668 mortalitatem exiit, quinque quidem ex Maria Elisabetha Brunswicensi filiis progenitis, sed omnibus ante ipsum extinctis.

V. JOHANNEM GEORGIUM, n. 1634. d. n. Jul. qui in bello Germanico Bernhardo patrueli, in Prutenico, Electori Brandenburgico militavit, ubi virulenta sagitta vulneratus, a se sanatus iterum est. Defuncto Adolpho Wilhelmo Marchsula Ifenacum sedem transtulit. Contra regem Gallix locumtenens Marechallus exercitum ducens, ad propugnaculum Germ. die Köhler. Schanze/ vitæ periculum subiit. An. 1661. Johannettam Ernesti Comitis Saynensis & Wittgensteinii filiam, Joh. Hassi viduam duxit, quæ ex parentis sine masculino defuncti hæreditate Alt. Kircham cum annexa præfectura & aliis prædijs sibi vindicavit β). An. 1686. d. 19. Sept. Wildschiræ extinctus est. Nati ipsi liberi

1) ELEONORA ERDMUTH LUISA, principissa magnis animæ & corporis dotibus prædita, n. 1662. 13. Apr. elocata Johanni Friderico Marchioni Brandenburg. Anspachienfian 1681. d. 4. Nov. & secundis nuptiis an. 1692. Joh. Georgio IV. Electori Saxonix, jam denuo vidua.

2) FRIDERICUS AUGUSTUS, n. 1633. d. 29. Oct. qui in obsidione Budæ tormenti ietu vulneratus Polonix 1684. d. 20. Sept. in ipso flore extinctus est.

3) JOHANNES GEORGIUS n. 1665. d. 25. Jul. Ifenaci residens, Sophiam Charlottam Eberhardi III. Ducis Württembergici filiam in matrimonio habuit.

4) MAXIMILIANUS & JOHANNES WILHELMUS gemelli, n. 1666. d. 17. Octob. ex quibus prior 1668, d. 22. Jul. obiit

obiit, alter Amaliam (aliis Sophiam Wilhelminam)  
Wilhelmi Friderici Principis Nassaviensis filiam, 1690. d.  
3. Nov. duxit.

5) LUISA n. 1668. d. 18. Apr. m. 1669.

6) FRIDERICA ELISABETHA n. 1669. d. 5. Maji.

7) ERNESTUS GUSTAVUS n. & m. 1672.

VI. WILHELMINAM ELEONORAM n. 1636. d. 7. Jun. m.  
1653. d. 1. Apr.

VII. BERNHARDUM II. n. 1638. d. 21. Febr. qui Jenam cum  
pertinentiis, ut loquuntur, ex hæreditate consecutus, in Gal-  
lia Mariam Henrici D. de Thours & de la Trimouille filiam  
1662. d. 18 Jul. sibi despondit. Wigando Jesuitæ Erfurtensi  
converso multa beneficia contulit. Proles ejus

1) CHARLOTTA MARIA n. 1669. Wilhelmo Ernesto  
Vinariensi 1693. elocata.

2) WILHELMUS n. 1664. d. 14. Jul. m. 1666.

3) BERNHARDUS n. 1667. d. 18. Nov. m. 1668.

4) JOH. WILHELMUS n. 1675. d. 28. Mart. qui anno 1690.  
d. 4. Nov. dum Rectoratum Academix Jenensis gereret,  
extinctus est.

VIII. FRIDERICUM VIII. n. 1640. m. 1656.

IX. DOROTHEAM MARIAM n. 1641. elocatam 1656. Mauri-  
tio D. Saxon. & Administ. Naumb. m. 1675. d. 11. Jul.

a) Pufendorf. Chemnitz. & Spener. l. c. β) Spener. l. c.

§. 9. JOHANNES ERNESTUS, Wilhelmi IV. filius, quæ  
ex Friderici Wilhelmi IV. Altenburgensis hæreditate, consecu-  
tus sit supra explicatum est. Cum fratribus possessiones divisit.  
Obiit 1683. d. 25. Maji Matrimonium contraxit an. 1656. 14. Aug.  
cum Christina Elisabetha Joh. Christiani Ducis Holfatix lineæ  
Sunderburg. filia, m. 1679. d. 7. Jul. quæ

I. ANNA DOROTHEA n. 1657. d. 12. Novembr. Abbatissa,  
Quedlinburgensis an. 1685. facta.

II. WILHELMINA CHRISTINA n. 1658. d. 26. Nov. Christia-  
no Wilhelmo comiti Swarzburgico Arnstadiensi an. 1684.  
in matrimonium data.

III. ELEONORA SOPHIA n. 1660. 21. Mart. Philippo principi Mersburgico 1684. d. 9. Jul. desponsata.

IV. WILHELMUS ERNESTUS n. 1661. d. 19. Octob. qui anno 1683. cum Charlotta Maria, Bernhardi D. Sax. filia, nuptias celebravit, & simul cum fratre patriæ præst.

V. JOHANNES ERNESTUS n. 1664. d. 22. Jun. qui ex Sophia Augusta, Johannis V. principis Anhaltini Servestani filia, 1685. d. 11. Octobr. ducta suscepit

1) JOHANNEM WILHELMUM n. 1686. d. 5 Jun. statimque mortuum.

2) ERNESTUM AUGUSTUM n. 1688. d. 19. Apr.

3) ELEONORAM CHRISTINAM n. 1689. d. 15. Apr. m. 1690. d. 7. Febr.

4) - - - filiam n. 1690. d. 6. Jul.

§. 10. ERNESTUS Johannis II. filius n. 1601. 25. Decemb. qui judicio Nobil. Dn. Imhoffi, omnibus quotquot unquam vivere principibus, verâ laude probitatis, religionis, prudentiæ politicæ, & industriæ œconomicæ palmam præripuit, & locum fecit veritati, promissi divini: *querentibus ante omnia regnum Dei, ac ejus justitiam, reliqua cuncta adjectum iri.* An. 1626. nomine fratrum, patrias moderatus est terras. Post Lipsiense prælium, Gustavi Adolphi R. S. legioni præfuit. Jussu regis vadum in Lyco fl. quærens, artus frigore ita læsit, ut in fera senectute adhuc malum senserit exinde natum. Pappenheimium à Wallensteinio Halâ ad prælium prope Lucenam revocatum, repressit. Würzburgensem Episcopatum à Bernhardo fratre sibi commissum optime rexit; doctrinamque Evangelicam disseminavit. Facta an. 1641. cum fratribus possessionum divisione, Gotham cum pertinentiis suis obtinuit. Alberto fratre 1644. è vivis sublato, dimidia principatus Isenacensis parte auctus est. An 1672. Friderici Wilhelmi IV. Altenburgici ex parte hæres extitit, ut supra dictum. An. 1643. ex ruderibus arcis Grimmenstein novam inchoavit, quam elapso quadriennio exstructam vel ab exoptatissima tranquillitate subsequente, vel à filio Friderico Friedenstein nominavit. A. 1655. urbem Gothâ in cineres ferè redactam restauravit. Scholas plures instituit; institutas meliori disciplina

plina recoluit. Nullus igitur penè inter inquilinos fuit, qui aut legere aut scribere nescivisset. Ut suos in fide erudiret, examina catechetica instituit. Biblia Vinariensia in commodum publicum edidit. Pauperes ex arario aluit; Suis nequaquam tributis molestus, magnas tamen divitias collegit. Aulâ usus est, probitatis, sobrietatis ac modestiæ exemplis omnium imitatione dignissima. Domi solus, haud opiparè cœnabat; cum verò ab aliis visitaretur, nullis parcebat sumptibus. Moguntinum Electorem Erfurto ad se venientem lauta in peculiari conclavi mensa excepit. In salutem regis Galliarum poculum ipsi propinanti dixit: Bibat prius Eminentia Vestra, in salutem Imperatoris Romani. Apud Imperatorem tantum valuit gratia, ut ipsi componendæ inter Hasso-Cassellanos ac Darmstadianos & Franconiarum Nobilitatem, ob causam successionis Marpurgenfis, controversiæ negotium 1647. commiserit. Juris quoque constitutiones in ordinem à Franzkio cancellario, redactas, suis ditionibus introduxit. Discrepantia inter illud & jus Saxoniarum, videri potest in libro, cui titulus, Jus Saxoniarum discrepans. Tribus ante obitum annis debilitata admodum memoriâ, conciones, antequam haberentur, scriptas sibi tradidi jussit; quò eas perlegere posset a). decessit anno 1675. d. 26. Martii. Encomium ipsi tale poëta quidam tribuit ex merito:

*Eusebie, pietas, virtus, tria numina, nomen  
dicite, quod vestris par queat esse scholis?  
Dicitis Ernestus: Sic verè dicitis, unum hoc  
laudum vestrarum, nomina nomen habet.*

Ex matrimonio Elisabethæ Sophiæ, Johan. Philippi Altenburgici filiarum anno 1636. ductarum, m. 1680. die 25. Decembr. suscepit

- I. JOHANNEM ERNESTUM nat. 18. Septembr. m. 1683. die 26. Decembr.
- II. ELISABETHAM DOROTHEAM n. 1640. & Ludovico Hasso Darmstadiensi Landgravio in thorum datam, jam viduam.
- III. JOHANNEM ERNESTUM VI. n. an. 1641. die. 7. Maji. m. 1657. d. 13. Decembr.
- IV.

IV. CHRISTIANUM n. 1642. d. 22. Febr. m. eodem mense.

V. SOPHIAM n. 1643. 21. Febr. m. 1657. 14. Octob.

VI. JOHANNAM n. 1645. 14. Febr. m. 1657. 7. Octobr.

VII. FRIDERICUM de quo seqv. §.

VIII. ALBERTUM n. 1648. 24. Maji, qui variis adversus Turcas & Gallos expeditionibus nobilitatus. Campo-Mareschalli dignitatem promeruit. Ex patrimonio Coburgum natus, uxorem duxit 1676 Mariam Adolphi Wilhelmi patruividuam, Augusti Ducis Brunswicensis filiam, ex qua unicum genuit filium Ernestum Augustum, n. 1677 1. Sept. m. 1678. 17. Aug. Ipsa Maria obiit 1687. 15. Febr. Secundas igitur nuptias 1688. 24. Maji cum Susanna Elisabetha ex nobili Kimpniskiorum in Bohemia stemmate natam.

IX. BERNHARDUM III. n. 1649. die 15. Septembr. princeps pietate parenti haud dissimilis, qui Meinunga cum pertinentiis potitus, sedem ibi habet ad splendorem magis modicum, quam ad luxum compositam. Ex Maria Hedvige Georgii II. Landgravii Hasso-Darmstadiensis filia ducta 1671. 20. Novembr. m. 1680. 19. Apr. genuit

1) ERNESTUM LUDOVICUM n. 1672. d. 7. Octobr. qui modernis aliquot adversus Gallos expeditionibus interfuit.

2) BERNHARDUM n. 1673. 28. Octobr. † 1694 in Belyio

3) JOHANNEM ERNESTUM n. 1674. d. 29. Decembr. m. 1675. d. 8. Febr.

4) MARIA ELISABETHA n. d. 9. Aug. an. 1676. mort. 22. Decembr.

5) JOHANNES GEORGIUS n. 1677. d. 3. Octobr. m. 1688. d. 10. Octobr.

6) FRIDERICUS WILHELMUS n. 1679. 16. Febr.

7) GEORGIUS ERNESTUS n. 26. Mart. 1680.

Ex altera Elisabetha Eleonora, Antonii Ulrici D. Brunswicensis filia; Georgii D. Mecklenburgici vidua, quam Gvelferbyti an. 1680. sibi junxit,

1) ELISABETHAM ERNESTINAM ANTONIAM n. 1682. d. 3. Decembr.

2) ELEO-



2) ELEONORAM FRIDERICAM n. 1683. 2. Mart.  
3) ANTONIUM AUGUSTUM nat. d. 20 Jun. m. 10. Decem-  
br. an. 1684.

4) WILHELMAM LUYSIAM n. 1686. 19. Jun.

5) ANTONIUM ULRICUM n. 1687. 22. Octobr.

X. HENRICUM n. 1650. 19. Novembr. qui Romhildum incolit  
& thorisociam nactus est. an. 1671. 1. Mart. Mariam Elifa-  
betham, Ludovici VI. Hasso-Darmstadiensis filiam.

XI. CHRISTIANUM n. 1653. 6. Jan. qui Eisenbergæ haud pro-  
cul Jena oppido sedem habet. Conjux prior Christiana,  
Christiani Ducis Saxo-Martisburgensis filia fuit, quæ post  
partum Christianæ filix, n. 1679. 14. Mart. obiit: alteram,  
Sophiam Mariam, Ludovici V. Hasso-Darmstadiensis fi-  
liam duxit 1681. 8. Febr.

XII. DOROTHEAM MARIAM n. an. 1654. 12. Febr. m. 1684.  
d. 17 Jun.

XIII. ERNESTUM n. 1655. d. 12. Jul. qui Eisfeldam in confiniis  
Franconix & Thuringix accepit. In matrimonio vivit,  
cum Henrietta Sophia, Georgii Friderici principis Waldec-  
censis (qui in principem ab Imp. Leopoldo diplomate La-  
xenburgi an. 1682. d. 17. Junii, dato erectus est) filia unica,  
in arce Waldeccensi Arolsen, sibi juncta; unde

1) ERNESTUS FRIDERICUS n. 1681. 12. Aug.

2) SOPHIA CAROLA n. 1682. 22. Decembr.

3) CAROLUM WILHELMUM nat. 1686. die 25. Jul. m. 1.  
Apr. seqv. anni.

XIV. JOHANNEM PHILIPPUM n. 1. Mart. m. 19. Maj.  
an. 1657.

XV. JOH. ERNESTUM n. 1658. 22. Aug. Salfeldix sedentem,  
qui conjugem sibi despondit 1680. 10. Febr. Sophiam Hed-  
vigim, Christiani Ducis Saxo-Mersburgensis filiam, m. 1686.

1. Aug. Ex quâ

1) CHRISTIANA SOPHIA n. 1681. 14. Jun.

2) - - - nat. 1682 5. Maji.

3) CHRISTIANUS ERNESTUS n. 1683. 18. Aug.

K

4) CHARA

- 4) CHARLOTTAM WILHELMINAM nat. an. 1685.  
d. 4. Jun.
- XVI JOHANNAM ELISABETHIAM nat. 2. Septembr. m. 18.  
Decembr 1660
- XVII. JOHANNEM PHILIPPUM n. 1661. die 16. Novembr.  
an. 1662. d. 13. Mart.

a) *De his vide Puffendorf. Chemniz Spener. l. c. conf. aut. dencf.  
würdiger Geschichte von der Landschaft Thüringen. in vit.  
& curriculum vitae ejus in fol. Gotha 1675. editum & Sagittar.  
Memorab. hist. Gothan.*

§. II. FRIDERICUS IX. natus major Ernesti pii filius,  
lucem hanc aspexit an. 1646. 15. Jul. Gallia, Italia & Belgio per-  
agratis, ante obitum parentis aliquot mensibus ante, provincias  
administrandas ab eo accepit. Divisione possessionum, ultimæ  
parentis dispositioni planè adversâ, cum fratribus facta, Gothæ  
in arce Friedenstein sedem habuit. A Christiano Ludovico  
Waldeccio Thonnam dynastiam, ob quam fide obligabantur  
Ducibus Saxon. Altenburgicis comites, emit, eoque facto Leo-  
nem argenteum in campo cæruleo scuto suo inscripsit a) Primis  
nuptiis Magdalenam Sybillam Augusti Ducis Saxonie & Ad-  
ministratores Magdeburgensis filiam 1669. d. 19. Aug. sibi con-  
juxit, quæ 1681. d. 20. Jan. mortua est. Secundis duxit 1681. d.  
14. Aug. Christianam Friderici VI. Marchionis Badensis sineæ  
Durlacensis filiam. Vita functus 1691. Ex priori habuit

- 1) ANNAM SOPHIAM n. 1670. d. 12. Decembr.
- 2) MAGDALENAM SYBILLAM n. 1671. 30. Septembr. m.  
1673. d. 2. Mart.
- 3) DOROTHEAM MARIAM n. 1674. d. 22. Jan.
- 4) FRIDERICAM n. 1675. 24. Mart.
- 5) FRIDERICUM n. 1676. 28. Jul. principem ac ducem hodi-  
ernum Saxo. Gothanum, quem elegans forma multoq;  
illustrior in doles, cunctis conspicuum reddit.
- 6) JOHANNEM WILHELMUM n. 1677. 4. Octobr.
- 7) ELISABETHAM n. 1629. m. 1630. 1. Jun.

8) JO.

8) JOHANNAM n. an. 1680. d. 1 Octobr.

a) Spenerus in Syllog. Pfannerus de precipuis Germaniæ Principum gentibus. c. 11.

§. 12. Hæc de Serenissimis Principibus ac Ducibus Saxonix, è posteritate Ernesti, annotare & communicare volui. DEUS seruet hanc incolumem æternaque beet felicitate. Subsequenti eaque ultima dissertatione, gesta Principum Seren. Albertinæ lineæ compendiosè tradam.

T A N T U M,

---

## COROLLARIA.

I.

**U**Nius cuncta fidei ac consilio permittere principi periculosum videtur.

II.

Eximia principis gloria est, religionem defendere.

III.

Fœdus Smalcaldicum justum fuit.

IV.

Lutherum non aliâ causâ Wormatiâ dimisit Carolus V. quam quod concitatum inter se invicem iri principes speraret.





2  
C 751

ULB Halle 3  
004 778 510  


TA 70L

10 77

n.5.





§. II. Si  
 Saxones ad  
 ipsum volen  
 ad Obacrum  
 phalorum, &  
 supplices in  
 pit. Exerci  
 Westphalis,  
 verant, clade  
 tus est, fide  
 vero in Itali  
 lus; Saxone  
 Nova hac pe  
 conventu, Sa  
 piam Saxonu  
 nam fidem se  
 vit, baptizari  
 burgum resta  
 lum.

§. III. In  
 Seniores, sac  
 interim ad Si  
 Hispaniam co  
 ipse redux fac  
 qui cuncta ad  
 Hos Aleman  
 nam Fluvium  
 vix pauci eva  
 circa annum  
 Lippiam fud  
 os & Westpha  
 no autem fec  
 Nordalbingo  
 ro, supplices  
 memoriam Se  
 phano templ

gum refecit;  
 a prohibere  
 tes exercitu,  
 inonem Ost-  
 obvios atque  
 e datis rece  
 a Saxonibus  
 orum intra-  
 olus mox ul  
 t. Simulac  
 bierat Caro  
 ripuerunt,  
 ia suorum  
 gens ad Lip  
 am Christia  
 lus illi igno  
 neret, Eres  
 didit castel  
 es Saxoniae  
 Vittekindus  
 , & cum in  
 intellexisset  
 concitavit,  
 levastarunt.  
 ae ad Adara  
 ultitudine  
 olus, nova,  
 Bucholz ad  
 i Angrivari  
 rinxit. An  
 ngoenses &  
 amnem fi  
 vit. In rei  
 rato St. Ste  
 lberstadium  
 postea

